

# Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

## **M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus**

Continens Orationum Volumen Primum

**Cicero, Marcus Tullius**

**Venetiis, 1583**

In Librvm IV Actionis II Ciceronis in Verrem Qvi De Signis Inscritbitvr Pavlli  
Mnvtii Commentariivs Oratio IX

[urn:nbn:de:gbv:45:1-764059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-764059)

# IN LIBRVM IV ACTIONIS II

CICERONIS IN VERREM

QVI. DE. SIGNIS. INSCRIBITVR

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS



## ORATIO IX



**V**ENIO nunc ad istius, quem ad modum ipse appellat, Studium; ut amici eius, morbum, & insaniam; ut Siculi, laerociniū. ego, quo nomine appellem, nescio. rē uobis proponam: uos eam suo nominis pondere penditote. genus ipsum prius cognoscite, iudices:

deinde fortasse non magnopere quaerētis, quo nomine appellandum putetis. Nego in Sicilia tota, tam locuplete, tam uetere prouincia, tot opidis, tot familijs, tā copiosis, ullum argenteum uas, ullum Corinthium, aut Deliacum fuisse: nego ullam gemmam, aut margaritam fuisse, aut quidquam ex auro, aut ebore factum, signum ullum aeneum, marmoreum, eburneum: nego ullam picturam neque in tabulis, neque textilem fuisse, quin quaesierit, inspexerit; quod placitum sit, abstru-

leuit. magnum uideor dicere: attendite, etiam quem ad modum dicam. non enim uerbi, neque criminis causa, augendi complector omnia. cum dico nihil istum eiusmodi rerum in tota prouincia reliquisse; latine me scitote, non accusatorie, loqui. etiam plinius: nihil in aedibus cuiusquam, ne in opidis quidem, nihil in locis communibus, ne in fanis quidem, nihil apud Siculum, nihil apud ciuem R. denique nihil istum, quod oculos, animumque accenderit, neque privati, neque publici, neque profani, neque sacri tota in Sicilia reliquisse. unde igitur potius incipiam, quam ab ea ciuitate, quae tibi una in amore, atque in delicijs fuit? aut ex quo potius numero; quam ex ipsis laudatoribus tuis? facilius enim perspicietur, qualis apud eos fueris, qui te oderunt, qui accusant, qui persequuntur; cum apud tuos Mamevtinos inueniere improbissima ratione esse praedatus.

## EXPLANATIO



**TVDIVM;** honestum uocabulum flagitiosae rei. **MORBVM,** & animi: quae uocant Graeci. lib. 1. Ille quoque, sodalis istius, erat in hoc morbo, & cupiditate. **INSANIAM;** non modo morbum, sed morbum etiam eiusmodi, qui similitudinem habet insaniae. Qui enim alicuius rei maiore, quam deceat, cupiditate flagraret, insanire dicebatur: ut infra: Similis istius cupiditas, hoc etiam acrior, atque insanior. Et post: Nonne uobis id egisse uidetur, ut non unius libidinem, non suos oculos, sed omnium auarissimorum insanias, cum Romam reuertisset, expleret? Lib. 11. Quibus in rebus istius cupiditates, & insaniam quis ignorat? Ibidem infra: Haec iste ad insaniam concupierat. Ad Att. lib. XII. Othonem uincas uolo: nec tamen insaniturum illum puto. Eodem sensu Horatius:

Insanit ueteres statuas Damafippus emendo.

**Ego, quo nomine appellem, nescio.** exaggerandi causa saepe fingit orator inopē se uerborū esse, quae rei uim ac naturam expriment: ut pro Quinctio: Si uadimonium omnino tibi cum P. Quinctio nullū fuit, quo te nomine appellemus? improbum? at, etiam si desertum uadimonium esset, tamen in ista postulatione & proscriptione bonorum improbissimus reperiebare. num malitiosum? negas. fraudulentum? iam id quidem arrogas tibi, & praeclarum putas. audacem? cupidum? perfidiosum? uulgaria, & obsoleta sunt, res autem noua, & inaudita. quid ergo est? uereor me hercule, ne aut grauioribus utar uerbis, quam natura fert, aut leuioribus, quam causa postulat. Lib. v. Facinus est, uinciri ciuem Romanum: scelus, uerberari: prope parricidium, necari: quid dicam, in crucem tollere? uerbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest. Et agr. 11. Verbum mihi deest, Quirites. cum ego hanc potestatem regiam appello: sed profecto maior est quaedam. Similiter ad Coelium: Putares ne unquam accidere posse, ut uerba mihi deessent, neque solum ista uestra oratoria, sed etiam haec leuia nostratia? desunt autem propter hanc causam, quia mirifice sum sollicitus, quidnam de prouincijs decernatur. **SVONOMINIS pondere penditote;** rem perpendite: deinde, quod ei nomen sua grauitate respondebit, id

bit, id eligite. CORINTHIUM, aut Deliacum ꝛ quae non argentea, sed aenea erant, utraque magni pretij: NON ENIM uerbi ꝛ non, ut uerbum, idest orationem meam, aut crimen ageam, ideo com- plector omnia: sed, quae loquor, Latine, non accusatorie nihil rem addens, sed proprijs eam uer- bis, qualis, & quanta est, exponens. A B E A, ciuitate, ꝛ Mamertina, idest vrbe Messana. LAUDATO- RIBVS tuis ꝛ sola Mamertina ciuitas legatos Romam publice miserat ad laudandum Verrem. infra.

## O R A T I O

C HEIUS est Mamertinus, (omnes hoc mihi faci- le concedent, qui Messanam acceperunt) om- nibus rebus in illa ciuitate ornatis. huius domus est uel optima Messanae, notissima quidem certe, & nostris hominibus apertissima, maximeq. hospitalis, ea domus ante aduentum istius sic ornata fuit, ut urbi quo- que esset ornamento, nam ipsa Messana, quae si tu moe- nibus, portuq. ornata sit, ab ijs rebus, quibus iste de- lectatur, sane uacua, atque nuda est. erat apud He- ium sacrarium cum magna dignitate in aedibus, a ma- ioribus traditum, perantiquum: in quo signa pulcher- rima quattuor, summo artificio, summa nobilitate, quae non modo istum, hominem ingeniosum, atque intelli- gentem, uerum etiam quemuis nostrum, quos iste idio- tas appellat, delectare possent: unum Cupidinis mar- moreum, Praxitelis. nimirum didici etiam, dum in istum inquiri, artificum nomina. idem opinor artifex eiusdem modi Cupidinem fecit illum, qui est Thespijs: propter quem Thespiae uisuntur, nam alia uisendi caus- sa nulla est. itaque ille L. Mummius, cum Thespijs ea, quae ad aedem Felicitatis sunt, ceteraq. profana ex illo opido signa tolleret, hunc marmoreum Cupidinem, quod erat consecratus, non attigit. uerum, ut ad illud sacrarium redeam; signum erat hoc, quod dico, Cupi- dinis e marmore: ex altera parte Hercules, e regie fa- ctus, ex aere. is dicebatur esse Myronis, ut opinor, & certe. item ante hosce deos erant tabulae, quae cui- us sacrarij religionem significare possent. erant aenea praeterea duo signa non maxima, uerum eximia uenu- state, uirginali habitu, atque uestitu, quae manibus su- blatis sacra quaedam more Atheniensium uirginu, re- posita in capitibus, sustinebant. Canephorae ipsae uo- cabantur, sed earum artificem, quem ꝛ quemnam ꝛ re- fere admones: Polycletem esse dicebant. Messanam ut quisque nostrum uenerat, haec uisere solebat: om- nibus haec ad uisendum patebant quotidie: domus erat non domino magis ornamento, quam ciuitati. C. Clau- dius, cuius aedilitatem magnificentissimam scimus fuisse, usus est hoc Cupidine tam diu, dum forum dijs im- mortalibus, populoq. R. habuit ornatum: & cum esset hospes Heiorum, Mamertini autem populi patromis, ut illis benignis usus est ad commodandum, sic ipse dili- gens fuit ad reportandum. nuper homines nobiles eius- modi, iudices, e quibus dico, nuper ꝛ immo uero modo, ac plane paulo ante uidimus, qui forum, ac basilicas non spolijs prouinciarum, sed ornamentis amicorum, commodis hospitum, non furtis nocentium, ornarent: qui tamen signa, atque ornamenta sua cuique reddebant, non, ablata ex urbibus sociorum, quatruidi causa, per simulationem aedilitatis, domum deinde, atque ad suas uillas auferrebant. haec omnia, quae dixi, signa, iudi- ces, ab Heio de sacrario Verres abstulit: nullum, in- quam, horum reliquit, neque aliud ullam tamen, prae- ter unum peruetus ligneum, Bonam fortunam. ut opi-

nor, eam iste domi suae habere noluit. pro deum homi- numq. fidem, quid hoc est? quae haec causa? quae haec impudentia est? quae, dico, signa, ante quam abs- te sublata sunt nemo Messanam cum imperio uenit, quin uiderit. tot praetores, tot consules in Sicilia tum in pace, tum etiam in bello fuerunt: tot homines cuius- que modi: non loquor de integris, innocentibus, reli- giosis: tot cupidi, tot improbi, tot audaces: quorum ne- mo sibi tam uehemens, tam potens, tam nobilis uisus est, qui ex illo sacrario quidquam poscere, aut tollere, aut attingere auderet. Verres, quod ubique erit pul- cherrimum, auferet? nihil habere praeterea cuiquam licet? tot domus locupletissimas domus istius una ca- pisset? iccirco nemo superiorum attingit, ut iste tolleret? ideo C. Claudius Pulcher retulit, ut C. Verres posset at- ferre ꝛ at non requirebat ille Cupido lenonis domum, ac meretriciam disciplinam: facile illo sacrario patrio co- tinebatur: Heio se a maioribus relictum esse sciebat: ad hereditatem sacrorum non quaerebat meretricis here- dem. Sed quid ego tam uehementer inuehor? uerbo- iam uno repellam. emi, inquit, o dii immortales, praecela- ram defensionem, mercatorum, cum imperio, ac secu- ribus in prouinciam misimus, qui omnia signa, tabulas pictas, omne argentum, aurum, ebur, gemmas coeme- ret, nihil cuiquam relinqueret. haec enim mihi ad om- nia defensio patefieri uidetur, emisse. primum, si id, quod uis, tibi ego concedam, ut emeris; quoniam in toto hoc genere hac una defensione usus es: quaero, cuiusmudi tu iudicia Romae putaris esse, si tibi hoc quae- quam concessurum putasti, te in praetura, ac imperio tot res, tam pretiosas, omnes denique res, quae alicui- us pretij fuerint, tota ex prouincia coemisse. Videte maiorum diligentiam; qui nihil dum etiam istiusmodi suspicabantur, uerumtamen ea, quae paruis in rebus accidere poterant, prouidebant. uicini, qui cum potestate, aut legatione in prouinciam esset profectus, tam amentem fore putarunt, ut emeret argentum; da- batur enim de publico: ut uestem; praedebatur enim & non praebetur a populo. sanxerunt, ne quis emer- ret mancipium, nisi in demortui locum. si quis Romae esset demortuus? immo, si quis ibidem: non enim te in- struere domum tuam uoluerunt in prouincia, sed illum usum prouinciae supplere. quae fuit causa, cur tam di- ligenter nos in prouincijs ab emptionibus remouerent? haec, iudices, quod putabant ereptionem esse, an em- ptionem, cum uenditori suo arbitrato uendere non lice- ret. in prouincijs, intelligebant, si is, qui esset cum im- perio, ac potestate, quod apud quemque esset, emer- uellet, idq. ei liceret; fore, uti, quod quisque uellet, si- ue esset uenale, siue non esset, quanti uellet, auferret. Dicit aliquis: noli isto modo agere cum Verre: noli eius facta ad antiquae religionis rationem exquirere: concede, ut impune emerit, modo ut bona ratione emer- rit.

rit, nihil ab inuito, nihil per iniuriam, Sic agam. si quid uenale habuit Heius; si id, quanti aestimabat, tanti uendidit: desino quaerere, cur emeris. quid igitur nobis faciendum est? num argumentis utendum in re eiusmodi? quaerendum est, credo, Heius iste num aes alienum habuerit, num auctionem fecerit, si fecit, num tanta difficultas eum rei nummariae tenuerit, tã a egestas, tanta uis oppresserit, ut sacrarium suum spoliaret, ut deos patrios uenderet. at hominem uideo auctionem fecisse nullam, uendidisse praeter fructus suos nihil unquam; non modo in aere alieno nullo, sed in suis nummis multis esse, ac semper fuisse: si haec contra, ac dico, essent omnia; tamen illum haec, quae tot annos in familia, sacrariiq. maiorum fuissent, uendituum non fuisse. Quid, si magnitudine pecuniae persuasum est ei? uerisimile non est ut ille, homo tam locuples, tã honestus, religioni suae, monumentisq. maiorum pecuniam anteponeret. Sunt ista: uerum tamen abducuntur homines nonnumquam etiã ab institutis suis magnitudine pecuniae. uideamus, quã ista pecunia fuit, quae pornerit Heium, hominem maxime locupletem, minime auarum, ab humanitate, & pietate, ab religione deducere: ita iussisti, opinor, ipsum in tabulas referre: HAEC. OMNIA. SIGNA. PRAXITELIS. MYRONIS. POLYCLETIS HS VI. ET. D. VERRI. VENDITA. SVNT. Recita ex tabulis. Iuuat me, haec praecleara nomina artificum, quae isti ad caelum ferunt, Verres aestimatione sic concidisse. Cupidinem Praxitelis HS M D C. profecto hinc natum est, Malo emere, quam rogare. Dicit aliquis: quid? tu ista permogno aestimas? ego uero ad meam rationem, usumq. non aestimo: uerum tamen a uobis ita arbitrari spectari oportere, quanti haec eorum iudicio, qui studiosi sunt barum rerum, aestimentur; quanti uenire soleant; quãri haec ipsa, si palam libereq. uenirent, uenire possent; denique ipse Verres quanti aestimet. numquã enim, si denarius quadringentis Cupidinem illum putasset, commisisset, ut propter eum in sermonem hominum, atque

in tantam uituperationem ueniret. quis uestrum igitur nescit, quanti haec aestimentur? in auctione signum aeneum non magnum HS cxx millibus uenire nõ uidi mus? quid, si uelim nominare homines, qui aut non minoris, aut etiam pluris emerint; non ne possum? etenim, qui modus est in his rebus cupiditatis, idem est aestimationis. difficile est enim finem facere pretio, nisi libidini feceris. Video igitur Heium neque uoluntate, neque difficultate aliqua temporis, neque magnitudine pecuniae adductum esse, ut haec signa uenderet, te quae ista simulatione emptionis, ui, metu, imperio, fascibus ab homine eo, quem una cum ceteris socijs non solum potestati tuae, sed etiam fidei populus R. commiserat, eripuisse, atque abstulisse. Quid mihi tam optandum, iudices, potest esse in hoc crimine, quam ut haec eadem dicat ipse Heius? nihil profecto. sed ne difficulta optemus. Heius est Mamertinus: Mamertina ciuitas istum publice communi consilio sola laudat: omnibus iste ceteris Siculis odio est; ab his solis amatur: eius autem legationis, quae ad istum laudandum missa est, princeps est Heius: etenim est printus ciuitatis. ne forte, dum publicis mandatis seruiat, de priuatis iniurijs reticeat. haec cum scirem, & cogitarem, commisi tamen me iudices, Heio: produxi eum prima aetione: neque id tamen ullo periculo feci. quid enim poterat Heius respondere, si esset improbus? si sui dissimilis? signa illa domi suae esse, non apud Verrem? qui poterat quidquam eiusmodi dicere? ut homo turpissimus esset, impudentissimeq. mentiretur, hoc diceret, illa se habuisse uenalia, eaq. sese, quanti uoluerit, uendidisse. homo domi suae nobilissimus, qui uos de religione sua, ac dignitate uere existimare maxime uellet, primo dixit, se istum publice laudare, quod sibi ita mã datum esset; deinde, neque se habuisse illo uenalia, neque ulla condicione, si, utrum uellet, liceret, adducumquam potuisse, ut uenderet illa, quae in sacrario fuissent a maioribus suis relicta, & tradita.

## EXPLANATIO

**A**NTE aduentum istius sic ornata fuit, & modus auaritia notandae. ut in Diuin. Quae mulier ante hunc quaestorem copiosa plane & locuples fuit. Quo loco plura posuimus exempla. **I**NGENIOSVM, atque intelligentem, & irratione condita laus. **P**ROPTER quem Thestia uisuntur. & idem Strabo narrat lib. IX & addit, opus hoc Glycerium meretricem a Praxitele confectam Trespiensibus suis donasse. **V**T OPINOR, & certe. & quasi res ipsas contemnens, quarum cupiditate Verres insanibat, artificum quoque nomina uel ignorare se fingit, uel tunc primum didicisse. supra: Nimirum didici etiam, dum in istum inquiri, artificum nomina. Infra quoque, quasi Polycleti nomen oblitus, Earum, inquit, artificem, quem? quemnam? recte admones: Polycletum esse dicebant. **C**. CLAVDIVS, & ut opinor, is, qui cum M. Perperna consul fuit, auus P. Clodij, Ciceronis inimici. nam lib. II. Off. ubi de muneribus aedilicij mentio fit, post L. Crassum, & Q. Mucium nominatur: & post eisdem triennio consul fuit. Valerius lib. II. cap. v. C. Pulcher scenam uarietate colorum adumbravit, uacuis antea pictura tabulis extentam. **N**ON SPOLIIS prouinciarum, & non enim spoliauerant, prouincias nostras, ut Verres. **B**ASILICAS & quae & ipse erant in foro, in quibus tribuni pl. ius dicebant. Plutarchus. **P**ER simulationem aedilitatis & ut forum ornaret in aedilitate sua. **H**ABERE noluit. & quasi non dignus bona fortuna. Inde Cicero de Verres exitio per iocum ominatur. **M**ERETRICIS & Chelidonis. infra: Cum tibi illo ipso anno Chelidone uenisset hereditas. De eadem lib. II. **H**EREDEM. & sacrorum hereditas eum bonorum hereditate ueniebat. Verres autem, Cupidinem illum, Heio a maioribus traditum, qui similiter posteris ab Heio tradi debebat. quasi eius heres & sacrario abstulit. **M**ERCATOREM cum imperio, ac securibus in prouinciam misimus, & lib. I. Sed, ut opinor, solet haec, quae rapuit, & furatus est, nonnunquam dicere, se emisse: quoniam quidem in Achaia, Asia, Pamphylia sumptu publico & legationis nomine, cum imperio, & securibus mercator signorum, tabularumq. pictarum missus est

CVIVS-

**C**VIVS MODI tu iudicia Romae putaris esse, & flagitiosa videlicet esse putasti, si tibi quemquam hoc esse concessurum credidisti. **I**STIVS MODI horum simile, quae commisit Verres. **M**ANCIPIVM putaverunt: & fore putaverunt, non ut argentum, aut vestem, sed ut mancipium aliquis emeret: itaque de eo solo sanxerunt: quae tamen parva res est. **S**I QVIS Romae esset demortuus: & si mancipium aliquod Romae decessisset, pro eo alterum emi in provincia ueruerunt; sed si in provincia, permiserunt. **I**N SVIS nummis multis esse, & instructum pecunia esse. Elegantiā quaesivit e contrarijs, esse in aere alieno nullo, esse in suis nummis multis. **V**ENDITVRVM non fuisse. & refer hoc ad uerbum, Video. **S**VNT ista: & quae proxime dixi, verisimile non esse, ut homo tam locuples, tam honestus, religioni suae monumentisq. maiorum pecuniam anteponeret. **A**B HVMANITATE, & pietate, & humanitatis est, huiusmodi signis delectari, quae non domino magis ornamento sint, quam ciuitati: pietatis, caueri & custodire diligenter, quae, tradita a maioribus, in sacratio custodiantur. **A**B religione, & quam uiolare uideretur, cum sacratium spoliaret. **H**AEC omnia & uerba sunt iussu Verris ab Heio scripta in suis tabulis. **H**S VI millibus & scutatis CLXXX. **I**STI & qui hoc morbo laborant. **M**ALO emere. & quandoquidem tam paruo emitur. **H**S CXX millibus & scutatorum tribus millibus sexcentis. **E**MERINT. & signum illud aeneum, proxime nominatum. **S**OLA ludat: & oratorie: nam, praeter eam, Syracusana laudauit. infra, & in Diuin. **N**E FORTE, & ioci genus: quasi ciuitas id spectauerit, cum legatum misit: quod ei certe propositum non fuit. ipse tamen utrumque fecit, & faciet. **D**E RELIGIONE sua & in confitenda ueritate,

## O R A T I O

**Q**UID sedes, Verres? quid exspectas? quid te a Centuripina ciuitate, a Catinensi, ab Halesina, Thurritana, Emmensi, Agrinensi, ceterisq. Siciliae ciuitatibus circumueniri, atque opprimi dicis? tua te altera patria, quemadmodum dicere solebas, Messana circumuenit; tua inquam Messana, tuorum aduix scelerum, libidinum testis, praedarum, ac furtorum receptrix. adest enim uir amplissimus eius ciuitatis, legatus huiusce iudicij causa domo missus, princeps laudationis tuae, qui te publice laudat. ita enim mandatum, atque imperatum est. tamen si rogatus de Cybea, tenetis memoria, quid responderit: aedificatam publicis operis, publice coactis, aedificandae publice Mamertinum senatorem praefuisse. idem ad uos priuatim, iudices, confugit: utitur hac lege, qua iudicium est commum, & priuatae rei sociorum. tamen si lex est de pecunijs repetundis, ille se negat pecuniam repetere, quam ereptam non tantopere desiderat: sacra se maiorum suorum repetere abs te dicit. deos penates a te patrios reposcit. eequi pudor est? eequae religio, Verres? eequi metus & habitasti apud Heium Messanae: res illum diuinas apud deos in suo sacratio prope quotidie facere uidisti. non mouetur pecunia: denique, quae ornamenti causa fuerunt, non requirit. tibi babe Canephoras: deorum simulacra restitue. Quae quia dixit, quia, tempore dato, moleste, apud uos, socius amicusq. populi R. questus est; quia religioni suae non modo in dijs patrijs repetundis, sed etiam in ipso iure iurando, ac testimonio proximus fuit: hominem missum ab isto scitote esse Messanam de legatis unum, illum ipsum, qui nauis istius aedificandae publice praefuit; qui a senatu peteret, ut Heius ignominia afficeretur. Homo amentissime, quid putasti & te impetraturum? quanti is a ciuibus suis fiet, quanti auctoritas eius habere tur, ignorabas? uerum fac te impetrauisse: fac aliquid grauius in Heium statuisse Mamertinos: quantam putas auctoritatem laudationis eorum futuram, si in eum, quem constat uero pro testimonio dixisse, poenam constituerent & tamen si quae est ista laudatio, cum laudator interrogatus laedat necesse est? Quid isti laudatores tui non ne testes mei sunt & Heius

est laudator: laest grauisime. producam ceteros: reticebunt, quae poterunt, libenter: dicent, quae necesse erit, ingratis; negent isti onerariam nauem maximam aedificatam esse Messanae? negent, si possint, negent ei nauis faciundae senatorem Mamertinum publicae praefuisse? utinam negent. sunt etiam cetera, quae malo integra reseruare; ut quam minimum sit illis temporis ad meditando, confirmandumq. periculum. haec tibi laudatio procedat in numerum. hie te bo mines auctoritate sua subleuent, qui te neque debent addiuare, si possint, neque possint, si uelint: quibus tu priuatim iniurias plurimas, contumeliasq. impossibilis quo in opido multas familias in perpetuum infames tuis stupris, flagitijsq. fecisti. At publice commodasti. non sine magno quidem reip. provinciaeque. Siciliae detrimeto. tritici modium LX. millia empta populo R. dare debent. & solebant: abs te solo remissum est. resp. detrimetum fecit, quod per te imperij uis una in ciuitate inimicium est: Siculi, quod ipsum hoc non de summa, frumenti detractum est, sed translatum in Centuripinos, & Halesinos, immunes populos; & hoc plus impositum, quam ferre possent. Nauem imperare ex foedere debuisti: remissisti in triennium. Militem nullum unquam poposcisti per tot annos: fecisti item uti praedones solent: qui cum communes hostes sint omnium, tamen aliquos sibi instituunt amicos, quibus non modo parcant, uerum etiam praeda quos augeant, & eos maxime, qui habent opidum opportuno loco, quo saepe adeundum sit nauibus, nonnumquam etiam necessario. Thafelis illa, quam cepit P. Seruilius, non fuerat urbs ante Cilicum, atque praedonum: Lycij illam, Graeci homines, incolebant: sed, quod erat eiusmodi loco, atque ita proiecta in altum, ut & exeuntes e Cilicia praedones saepe ad eam necessario deuenirent, & cum ex his se locis reciperent, eodem deferrentur; adscinerunt illud sibi opidum piratae, primo commercio, deinde etiam societate. Mamertina ciuitas improba antea non erat, etiam erat inimica improborum: quae C. Antonis illius, qui consul fuit, impedimenta retinuit: at cuius hominis clarissimi, potentissimi que: qui tamen, cum consul fuisset, condemnatus est. ita ne uero? C. Cato,

Cato duorum hominum clarissimorum nepos, L. Paulli, & M. Catonis, & P. Africani sororis filius; quodammodo, cum seuera iudicia fiebant, HS XV III millibus lis aestimata est: huic Mamertini irati non fuerunt, qui maiorem sumptum, quam quanti Catonis lis aestimata est, in Timarchidis prandium saepe fecerunt: Verum haec ciuitas isti praedoni, ac piratae Cicerili Phaelis fuit. huc omnia undique deportabatur, apud istos relinquebatur: quod caelari opus erat, habebant se positum, ac reconditum: per istos, quae uolebat, in nauem clam imponenda, occulte exportanda curabat: nauem denique maximam, quam onustam furtis in Italiam mitteret, apud istos faciendam, ae-

dificandamque curauit. pro hisce rebus uacatio data est ab isto sumptus, laboris, militiae, rerum denique omnium. per triennium soli non modo in Sicilia, uerum, ut opinio mea fert, his quidem temporibus in omni orbe terrarum uacui, expertes, soluti, ac liberi fuerunt ab omni sumptu, molestia, munere. hinc illa Verrea nata sunt. hinc in conuiuium Sex. Cominium protrahi iussit, in quem scyphum de manu iacere conatus est, quem obtorta gula de conuiuium in uincula, atque in tenebras abripi iussit. hinc illa crux, in quam ciuem Riste multis inspectantibus sustulit: quam non ausus est usquam defigere nisi apud eos, quibuscum omnia scelera sua, ac latrocinia communicasset.

## EXPLANATIO

**D**E CIBEAE, & naui oneraria a Mamertinis publice aedificata, Verriq. donata, ut exportare furta sua posset. Quadrata esse debuit: siquidem a *κίβος* Cybea deducitur. **D**E O R V M simulacra & Cupidinem, & Herculem. **Q**VAE quia dixit, & priorae actione. **P**ROXIMVS fuit: & idest, a sua religione non discessit. **I**NGRATIS. & uel inuiti. **P**ERIVRYM & falsum testimonium, in quo dicendo peierabunt. **T**IBI & Verres. **I**N NUMERVM: & ex animi tui sententia. Sumptum opinor ab histrionibus, numerum in motu seruantibus. **P**ARAD. Histrionum si paullo se mouit extra numerum, aut si uersus pronunciatum est una syllaba longior, aut breuior, exhibetur, & exploditur. **A**T P V B L I C E commodasti. & beneficio eos affecisti. **P**. **S**ERVIIVS & Isauricus. **E**X H I S C E se locis & unde Ciliciam uersus nauigatur. **A**T cuius hominis? & amplificandi modus. ut lib. 3. Videamus, Herbitensis ciuitas, honesta antea, & copiosa, quemadmodum spoliata ab isto, ac uexata sit: at quorum hominum? summorum atatum, remotissimorum a foro, iudicijs, controuersijs. **C. CATO**, & nihil deest: ad illud enim respicit, condemnatus est. **L. PAULLI**, & M. Catonis, & maternus ei fuit auus Paullus, paternus Cato. **A**FRICANI & minoris, qui Paulli filius naturalis fuit. **C**VM seuera iudicia fiebant, & cum equites iudicabant. aculeus in senatores iudices, & ad condemnandum Verrem, infamiae tollendae gratia, tacita cohortatio. Eiusdem generis illud infra: Nisi forte existimatis, postea quam iudicia seuera Romae fieri desierint. **H**VIC Mamertini irati non fuerunt, & cui uerisimile uideatur, Mamertinos C. Catonis, consularis uiri, & nobilissimi, impedimenta retinuisse propter HS XVIII millia, quibus ei lis aestimata est; eosdem iratos Verri non fuisse, maiore sumptu saepe facto in prandium Timarchidis, quam quanti Catoni lis aestimata est? sed ideo irati ei non fuerunt, quia, cum essent furtorum conscij, & in ijs occulte exportandis omni eum opera, nauis etiam publice aedificata, adiuuarent, uacationem sumptus, laboris, militiae, rerum denique omnium per triennium consecuti sunt. **CATONIS lis aestimata est**, & Catoni, puto esse rectius. & ut alia mittantur exempla, de eodem Catone lib. III. dixit: qua in ciuitate C. Catoni HS XVIII millibus lis aestimata sit. **VERREA**: & dies festus, in honorem Verri institutus. maxime propter haec in Mamertinos beneficia.

## ORATIO

**L**AVDATVM etiam uos quemquam uenire audetis? qua auctoritate? utrum, quam apud senatorium ordinem, an quam apud populum R. habere debetis? ecquae ciuitas est, non modo in prouincijs nostris, uerum in ultimis nationibus, aut tam potens, aut tam libera, aut etiam tam immanis, ac barbara; rex denique ecquis est, qui senatorem populi R. recto, ac domo non inuitet? qui honos non homini solum habetur, sed primū populo R. cuius beneficio nos in hunc ordinē uenimus; deinde ordinis auctoritati; quae nisi grauis erit apud socios, atque externas nationes, ubi erit imperij nomen, & dignitas? Mamertini ne publice non inuitauerūt. me cum dico, leue est. senatorem populi R. si non inuitauerunt, honorem debitum detraxerunt non homini, sed ordini. nam ipsi Tullio patebat domus locupletissima, & amplissima C. Pompeij Basilici, quo, etiam si esset inuitatus a uobis, tamen diuertisset: erat etiam Percenniorum, qui nunc item Pompeij sunt, domus

honestissima: quo Lucius frater meus, summa illorum uoluntate, diuertit. senator populi R. quod in uobis fuit, in uestro oppido iacuit, & pernoctauit in publico. nulla hoc alia ciuitas umquam commisit. amicū enim nostrum in iudicium uocabas. tu, quid ego priuatim negotij geram, interpretaberis immuendo honore senatorio? uerum haec tum queremus, si quid de uobis per eum ordinem agetur, qui ordo a uobis adhuc solis contēptus est. in populi R. quidem conspectum quo ore uos commisistis? nec prius illam crucem, quae etiam nunc ciuis R. sanguine redundat, quae fixa est ad portum, urbemque uestram, reuelistis, neque in profundum abiecastis, locumque illum omnem expiastis, quam Romā, atque in horum conuentum adiretis? in Mamertinorū solo foederato, atque pacato monumentum istius crudelitatis constitutum est. uestra ne urbs electa est, ad quam qui adirent ex Italia, crucem ciuis R. prius, quā quemquam amicum uiderem populi R. & quam uos Rhe-

GG ginis,

gini . quorum ciuitati inuidetis item incolis uestris ,  
 ciuibus R. ostendere soletis ; quo minus sibi arrogent ,  
 minus nos despiciant , cū uideant ius ciuitatis illo sup  
 pli io esse mactatum . Verum haec emisse te dicis : quid  
 illa Attalica , tota Sicilia nominata , ab eodem Heio  
 peripetasmata emere oblitus es ? licuit eodem modo , ut  
 signa : quid enim actum est ? an litteris pepercisti ? ue  
 rum hominem amentem hoc fugit . minus clarum puta  
 ut fore , quod de armario , quam quod de sacrario , es  
 set ablatum . at quo modo abstulit ? non possum dicere  
 planius , quam ipse apud uos dixit Heius . cum quaesif  
 sem , numquid aliud de bonis eius peruenisset ad Ver  
 rem : respondit , istum ad se misisse , ut sibi mitteret  
 Agragantum peripetasmata . quaesui , an misisset : res  
 pondit id , quod necesse erat , scilicet dicto audientem  
 fuisse praetori , misisse . rogauit , peruenissent ne Agragā  
 tum : dixit , peruenisse . quaesui , an domum reuertif  
 sent ? negauit adhuc reuertisse . visus populi , atque ad  
 murmuratio omnium facta est . Hic tibi in mentem nō  
 uenit , iubere , ut haec quoque referret HS VI millia d  
 se tibi uendidisse : metuisti , ne aes alienum tibi cresce  
 ret , si HS VI millia d tibi constarent ea , quae tu facile  
 posses uendere HS CC millibus . fuit tanti , mihi crede :  
 haberes , quod defenderes : nemo quaereret , quanti illa  
 res esset : si modo te posses docere emisse , facile , cui uel

let , tuam causam , & factum probares . nunc de peri  
 petasmatis quemadmodum te expedias , non habes .  
 Quid ? a Philarcho Centuripino , homine locuplete , ac  
 nobili , phaleras pulcherrime factas , quae regis Hie  
 ronis fuisse dicuntur , utrum tandem abstulisti , an emi  
 sti ? in Sicilia quidem cum essem , sic a Centuripinis , sic  
 a ceteris audiebam : non enim parum res erat clava . tā  
 te has phaleras a Philarcho Centuripino abstulisse di  
 cebant , quam alias item nobiles ab Aristo Panbormi  
 tano , quam tertias a Cratippo Tyndaritano . etenim  
 si Philarchus uendidisset , non ei , postea quam reus fa  
 ctus es , redditurum te promississet . quod quia uidisti  
 plures scire ; cogitasti si ei reddidisses , te minus habi  
 turum , rem nihilo minus testatam futuram : non reddi  
 disti . dixit Philarchus pro testimonio , se , quod nosset  
 tuum istum morbum , ut amici tui appellant , cupisse te  
 celare de phaleris : cum abs te appellatus esset , negaf  
 se habere sese : apud alium quoque eas habuisse deposti  
 tas , ne quae inuenirentur : tuam tantam fuisse sagacita  
 tem , ut eas per illum ipsum inspiceres , ubi erant depo  
 sitae : tum se deprehensum negare non potuisse : ita ab  
 se inuito ablatas phaleras gratis . Iam , ut haec omnia  
 reperire , ac perscrutari solitus sit , iudices , est operae  
 pretium cognoscere .

## EXPLANATIO

**C**IVIS beneficio ? dat enim populus Romanus eos magistratus , quos qui gesserunt , in senatum  
 legi debent . **IPSITULLIO** ? mihi , non ut senatori , sed ut eorum amico . **FRATER** ? patru  
 lis , qui cum Cicerone in Siciliam ad inquirendum in Verrem profectus est . **PEREVM** ordinem ? per  
 senatum . **AGETVR** ? qua enim cum contumelia affecistis , cum me , senatorem populi Romani , pu  
 blice non inuitastis , eam inuitam esse non sinet . **CIVIS Romani sanguine redundat** , ? sic locutus est C.  
 Gracchus lib. III. de Orat. Quo me uertam miser ? in Capitolium ne ? at fratris sanguine redundat .  
 P. Gaium significat , de quo lib. V. **QVORVM ciuitati inuidetis** , ? quia ciues Romani sunt , Infra :  
 Quid arbitramini Rheginos , qui iam ciues Romani sunt , mereri uelle , ut ab ijs mar morea Venus illa  
 ne auferatur ? **Idem Cornificij tribules in epistola ad illum uocantur** , municipes autem Phil. I. **QVO**  
**minus sibi arrogent** , ? quia ciues Romani sint . **ILLO supplicio** ? Gaiij in crucem acti . **MACTATVM** ?  
 uerbo usus est , quod cum supplicio congrueret . quasi diceret : in uno homine ius ciuitatis inuersum  
 cruci affixum est . Diserte hoc expressit lib. V. Non tu , inquit , hoc loco Gaium , non unum hominem  
 nefcio quem , ciuem Romanum , sed commune libertatis & ciuitatis causam in illum cruciatum , &  
 crucem egisti . **HAEC** ? signa . **ATTALICA peripetasmata** ? aulae , auro intertextae : qualia primus At  
 talus rex inuenit , Peripetasmata uero generale nomen est , παρὰ τὸ περιπέτασθαι , quod uerbum ex Hely  
 chio notum est , potius , quam , ut alijs uidetur , παρὰ τὸ περιπέτασθαι . **EMERE oblitus es** ? ? cur , ut signa ,  
 non item peripetasmata iussisti Heium in suas tabula referre , tamquam sibi uendita ? an hoc oblitus  
 es ? **LICUIT** ? emere , id est emptionem simulare . **AN LITTERIS pepercisti** ? ? an tibi uisum non est ,  
 ut hoc nomen in tabulis scriberetur ? **Parcere litteris** , est , a scribendo abstinere . **DE armario** , ? unde  
 promuntur peripetasmata . **HS CC millibus** ? scutatorum sex millibus . **FIT tanti** , ? fuit , cur id fa  
 ceres . e re tua fuit , ut in tabulas id referri iuberis . Modus loquendi , quo , utile esse , uel fuisse , aliquid fie  
 ri , ostenditur . nec alio spectat , quod infra dicitur : Credo , etiam tabulae proferentur . est tanti . Simile  
 illud Coelianum : Sed tanti ? sed est mehercule . Et in Catil. or. I. Est mihi tanti , **Quirites** , huius inui  
 diae falsae , atque iniquae tempestatem subire , dummodo a uobis huius horribilis belli , ac nefarii pe  
 riculum depellatur . **PHALERAS** ? equorum ornamenta . **TE MINVS habiturum** , ? phaleras ip  
 sas non habiturum .

## ORATIO

**C**IBYRAE sunt fratres quidam , Tlepolemus et,  
 Hiero : quorum alterum fingere opinor e cera so  
 litum esse , alterum esse pictorem . hosce opinor Cibrae ,  
 cum in suspicionem uenissent suis ciuibus , sanum expi

lasse Apollinis , ueritos poenam iudicij , ac legis , do  
 mo profugisse . quod Verrem artificij sui cupidū cogno  
 uerant , tum , cum iste , id quod ex testibus didicistis ,  
 Cibiram cum inanibus syngraphis uenerat ; domo pro  
 fugientes ,

fugiantes, ad eum se exsules, cum isle esset in Asia, con-  
tulerunt. habuit secum eos ab illo tempore: & in leg-  
gationis praedis, atque furtis multum illorum opera,  
consilioque usus est. hi sunt illi, quibus in tabulas retulit  
se Q. Tadius dedisse, in suis istius, Graecis pictoribus:  
quos sibi iam bene cognitos, & re probatos, secum in  
Siciliam duxit. quo postea quam uenerunt, mirandum  
in modum (canes uenaticos dices) ita odorabantur  
omnia, & peruestigabant, ut, ubi quidque esset, ali-  
qua ratione inuenirent. aliud minitendo, aliud pollicen-  
do, aliud per seruos, aliud per liberos, per amicum  
aliud, aliud per inimicum inueniebant. quid quid illis  
placuerat, perdendum erat. nihil aliud optabant, quo-  
rum poscebatur argentum, nisi ut Hieroni, & Tle-  
polemo displiceret. Vere mehercules hoc, iudices, di-  
cam. memini Pamphilum Lilybaetanium, hospitem  
meum, & amicum, nobilem hominem, mihi narra-  
re; cum iste ab se se hydriam Boethi manu factam, prae-  
claro opere, & grandi pondere, per potestatem abstu-  
lisset, se sane eristem, & conturbatum domum re-  
uertisse. quod uas eiusmodi, quod sibi a patre, & a  
maioribus esset relictum, quo solitus esset uti ad festos  
dies, ad hospitium aduentum, a se esset ablatum. Cum  
sederem, inquit, domi tristis, accurrit Venerius, iu-  
bet me scyphos sigillatos ad praetorem statim offerre.  
permotus sum, inquit. binos habebam: uideo promi  
utroque, ne quid plus mali nasceretur, & mecum ad  
praetoris domum ferri. eo cum uenio praetor quie-  
scebat, fratres illi Cibratae inambulabant. qui simul  
ut me uiderunt, & hi sunt, Pamphile, inquit, scyphi?  
ostendo tristis. laudant: incipio queri, me nihil habi-  
turum, quod alicuius esset pretij, si etiam scyphi essent  
ablati. tum illi, ubi me conturbatum uident: quid uis  
nobis dare, ut isti ne auferantur abs te? ne multa, HS  
& ceme, inquit, poposcerunt: dixi me & daturum uo-

cat interea praetor: scyphos poscit, tum illos cocpisse  
praetori dicere, putasse se, id quod audissent, alicuius  
pretij scyphos esse Pamphili: luteum negotium esse, non  
dignum, quod in suo argento Verres haberet. ait ille,  
idem sibi uideri. ita Pamphilus scyphos optimos au-  
fert. & mehercules ego antea, tametsi hoc nescio quid  
nugatorium sciebam esse, ista intelligere; tamen mira-  
ri solebam, istum in his ipsis rebus aliquem sensum ha-  
bere. tum primum intellexi, ad eam rem istos fratres  
Cibratas, fuisse, ut iste in furando manibus suis, o-  
culis illorum uideretur. at ita studiosus est huius prae-  
clarae estimationis, ut putetur in hisce rebus intelli-  
gens esse, ut nuper, (uidete hominis amentiam) postea  
quam est comperendinatus, cum iam pro damnato,  
mortuoque esset, ludis Circensibus mane apud L. Sisen-  
nam, uirum primarium, cum essent triclinia strata, ar-  
gentumque expositum in aedibus, cum pro dignitate L.  
Sisennae domus esset plena hominum honestorum, ac-  
cesserit ad argentum, contemplari unumquodque otio  
se, & considerare coeperit. minari stultitiam alij, quod  
in ipso iudicio eius ipsius cupiditatis, cuius insimulare-  
tur, suspicionem auget: alij amentiam, cui compe-  
rendinato, cum tam multi testes dixissent, quidquam  
illorum ueniret in mentem. pueri autem Sisennae, cre-  
do qui audiissent quae in istum testimonia essent dicta,  
oculos de isto nusquam deicere, neque ab argento digi-  
tum discedere. est boni iudicis, paruis ex rebus conie-  
cturam facere uniuscuiusque & cupiditatis, & incon-  
tinentiae. qui reus lege, & reus comperendinatus, re,  
& opinione hominum paene damnatus, temperare non  
potuerit maximo conuentu, quin L. Sisennae argenti  
tractaret, & consideraret; hunc in provincia praeto-  
rem quisquam putabit a Siculorum argento cupidita-  
tem, aut manus abstinere potuisse?

## EXPLANATIO

CIBYRAM? quae erat in imperio Cilicenis provinciae. eo legatus Dolabellae. Verres uenit. CVM  
Cinanibus syngraphis? ex quibus exigere nihil potuit. syngraphas enim attulerat, ex quibus ei nihil  
deberetur. IN ASIA? dixi iam, Asiam uocari Ciliciam provinciam Dolabellae. Q. TADIVS? P. ap-  
pellatur lib. I. ubi magnam ei cum Vere nummariam rationem fuisse constat. VBI quidquid esset, & Quid  
quid pro quidque: ut pro Fonteio: Si, ut quidquid ex illo loco diceretur, ex oraculo aliquo dici arbi-  
trabitur. In ep. ad Torquatum: Quocumque in loco quisquis est, idem est ei sensus, & eadem acerbitas.  
Tusc. v. Ut quidquid obiectum est. Plautus in Amphitr. Ordine omne, ut quidquid actum est,  
Edisserauit. Et in Trin. Vnum quidquid sigillatim, & placide percunctabere. Lucretius lib. II.  
Inq. suos quidquid rursus reuocare meatus. Idem alibi saepe. BOETHI? sculptoris egregij. Plinius  
lib. 33. c. 12. lib. 34. c. 8. PER potestatem? praetoriam, non pretio, uel precibus. LUTEVM? uilissimū  
ut luto nihil uilius. lib. III. In hoc homo luteus, etiam callidus, ac ueterator esse uult. SIGILLATOS? &  
paruis signis ornatos. in ep. ad Att. Putealia sigillata. Hic infra: Patella grandis, cum sigillis, ac simu-  
lacris deorum. Et post: Sigillis auulsis, reliquum argentum sine auaritia reddidit. SISENNAM? defen-  
sorem suum. infra, & lib. II. ILLORVM? eiusmodi rerum, quas in provincia ad infaniam concupierat.

## ORATIO

VERVM uti Lilybaeum, unde digressa est, oratio  
reueratur: Diocles est, Pamphili gener illius,  
a quo hydria ablata est, Popillius cognomine. ab hoc  
abacta uasa omnia, ut exposita fuerant, abstulit. dicat  
se licet emisse. etenim hic, propter magnitudinem fur-  
ti, sunt opinor, litterae factae. iussit Timarchidem

aeestimare argentum. quo modo? quo equi umquam te-  
nuissime in donatione histrionum aestimauit. tametsi  
iam dudum erro, qui tam multa de tuis emptionibus  
uerba faciam, & quaeram, ut rum emeris, & quo wo-  
do, & quanti emeris: quod uerbo transigere possum.  
ede mihi scriptum; quid argenti in provincia Sicilia pa-



raris, unde quidque, aut quanti emeris. quid fit? quamquam non debebam ego abs te has litteras polcere. me enim tabulas tuas habere, & proferre oportebat. uerum negas te horum annorum aliquot confacisse. compone hoc, quod postulo, de argento: de reliquo uidero. nec scriptum habeo: nec possum edere. quid futurum igitur est? quid existimas hosce iudices facere posse? domus plena signorum pulcherrimorum iam etiam ante praeturam, multa ad uillas tuas posita, apud amicos multa deposita, multa alijs data, atque donata: tabulae nullam indicant emptum: omne argentum ablatum ex Sicilia est: nihil cuiquam, quod suum dici uellet, relictum. Fingitur improba defensio, praetorem omne id argentum coemisse: tamen id ipsum tabulis demonstrari non potest: si quas tabulas profers, in his, quid habeas, quo modo habeas, scriptum non est. horum autem temporum cum te plurimas res emisse dicas, tabulas omnino nullas proferas; non ne te & prolatis, & non prolatis tabulis condemnari necesse est? tu a M. Coelio, equite R. lectissimo adolescente, quae uoluisti uasa argentea Lilybaei abstulisti: tu P. Cacurij, promptissimi hominis, & experientis, & in primis gratiosi, suppellectilem omnem auferre non dubitasti: tu maximam, & pulcherrimam mensam citream a Q. Lutatio Diodoro, qui Q. Catuli beneficio a L. Sulla ciuis R. factus est, omnibus scientibus, Lilybaei abstulisti. non tibi obijcio, quod hominem dignissimum tuis moribus, Apollonium Nicomitis filium, Drepanitanum, qui nunc A. Clodius uocatur, omni argento optime facto spoliasti, ac depeculatus es. taceo: non enim putat ille sibi iniuriam factum, propterea quod homini iam perditio, & collum in laqueum inferenti subuenisti, cum pupillis Drepanitanis bona patria erepta cum illo partitus es. gaudeo etiam, si quid ab illo abstulisti; & abs te nihil rectius factum esse dico. a Lyfone uero Lylybaetano, primo homine, apud quem diuersatus es, Apollinis signum ablatum cer-

te esse non oportuit. at dices te emisse. scio: H. S. M. i. d. opinor: scio, inquam: proferam litteras: & tamen id factum non oportuit. A pupillo Helio, cui C. Marcellus tutor est, a quo pecuniam grandem eripueras, scaphia cum emblematis Lilybaei utrum empta esse dicis, an confiteris erepta? Sed quid ego istius in eiusmodi rebus mediocres iniurias colligo, quae tantummodo in furtis istius, & damnis eorum, a quibus auferbat, uersata esse uideantur? accipite, si uultis, iudices, rem eiusmodi, ut amentiam singularem, ut furrorem iam, non cupiditatem eius perspicere possitis. Melitensis Diodorus est: qui apud uos antea testimonium dixit. is Lilybaei multos iam annos habitat, homo & domi nobilis, & apud eos, quo se conulit, propter uirtutum splendidum, & gratiosum. de hoc Verri dicitur, habere eum per bona toreumata, in his pocula duo quaedam, quae Heraclia nominantur, Mentoris manu summo artificio facta. quod ubi iste audiuit, sic cupiditate inflammatus est non solum inspicundi, uerum etiam auferendi, ut Diodorum ad se uocaret, ac posceret. ille, qui illa non inuitus haberet, respondit, se Lilybaei non habere, Melitae apud quendam propinquum suum reliquisse. tum iste continuo mittit homines certos Melitam: scribit ad quosdam Melitenses, ut ea uasa perquirant; rogat Diodorum, ut ad illum suum propinquum det litteras. nihil ei longius uidebatur, quam dum illud uideret argentum. Diodorus, homo frugi. ac diligens, qui sua seruare uellet, propinquo suo scribit, ut ijs, qui a Verre uenissent, responderet, illud argentum se paucis illis diebus misisse Lilybaeum. ipse interea recedit. abesse ab domo paulisper maluit, quam praesens illud optime factum argentum amittere. quod ubi audiuit iste, usque eo est commotus, ut sine ulla dubitatione insanire omnibus, ac furere uideretur. quia non potuerat argentum eripere, ipse a Diodoro erepta sibi uasa optime facta dicebat; minitari absentem Diodoro, uociferari palam, lacrymas interdum nix tenere.

## EXPLANATIO

**S**VNT, opinor litterae factae. & scriptum est in tabulis. **I**N DONATIONE histrionum? locus hic ostendit, bonos histriones argento donari solitos: aestimationem tamen locum esse non uideo. cur enim aestimerur, quod donatur? nisi si hoc dicitur, eum, qui donabat, retulisse in tabulas, non quantum ualebat argentum, sed multo minoris: ne quando sibi probro dari posset, quod in histriones pecuniae plus, quam deceret, erogasset. **Q**UID fit? cur mihi, quod postulo, scriptum non edis? **H**AS LITTERAS? tabulas, in quibus, quid argenti in Sicilia paratis, unde quidque, aut quanti emeris, a te scriptum esset. **M**E ENIM? accusatorem tuum. **H**ORVM annorum aliquot? post M. Terentium, & C. Cassium consules. lib. 1. **C**OMPONE? ede mihi scripta simul haec tria, quid argenti paratis in Sicilia, unde quidque emeris, quanti emeris. **D**E RELIQUO uidero. & de reliquis non urgeo: quaerendi spatium erit. **I**MPROBA defensio, quid enim improbius, quam praetorem a argentum omne in sua prouincia coemere? **P**ROLATIS, & in quibus, quid habeas, quo modo habeas, scriptum non est. **N**ON prolatis? quia, cum horum temporum plurimas res emisse te dicas, idq. tabulis non demonstras, quis emisse te credat? quid causae est, cur non crimine repetundarum condemneris? **P**ROMPTISSIMI hominis, & in agendis rebus, ad ingenij praestantiam refertur, ut ad tarditatem illud de Heraclio lib. II. **H**ominem esse maiorem natu, non promptissimum. **E**XPERIENTIS? in usu rerum uersati. **Q**. CATULLI beneficio? a quo propterea praenomen, & nomen accepit. **H**OMINEM dignissimum tuis moribus, & tui simillimum, turpissimum. in Pisonem: **H**ominem impurum, atque non modo facie, sed etiam oculo tuo dignissimum: **E**t pro Sextio: **H**omo ijs dignissimus, quibus cum uiuit. **B**ONA patria erepta? quae ille pupillis eripuerat, cum propter ea puniendus a te esset, ea tu cum eo partitus es. **I**D FACTVM non oportuit? auferre signum Apollinis non debuisti. **C**. MARCELLVS? qui iudex in consilio aderat. infra. **S**CAPHIA? uasa potoria, quae scaphae similitudinem referrent. *καρὰ τὸ σκάφος οὖας*. **C**VM emblematis? id, quod in opus aliquod ornamenti gratia includitur, Emblemata dicitur. unde uermiculae emblemata apud

<sup>a</sup>apud Lucilium, dictum ἀπὸ τῶν εὐβάλλεσθαι. SPLENDIDVS, ꝛ honoratus. TOREVMATA, ꝛ argentea uaa caelata. infra. MENTORIS ꝛ artificis nobilissimi. NON inuitus ꝛ festiue, quo Diodorus admodū delectaretur, id cum habere non inuitum dicit.

## ORATIO

**E**RIPHYLAM accepimus in fabulis ea cupiditate, ut, cum uidisset monile. ut opinor, ex auro, ꝛ gemmis, pulchritudine eius incensa salutem uiri proderet. similis istius cupiditas, hoc etiam acrior, atque insanior, quod illa cupiebat, id quod uiderat; huius libidines non solum oculis, sed etiam auribus excitabantur. conquiri Diodorum tota prouincia iubet. ille ex Sicilia castra iam mouerat, ꝛ uasa collegerat. homo, ut aliquo modo illum in prouinciam reuocaret, hanc excogitauit rationem: si haec ratio potius, quam amentia nominanda est. apponit de suis canibus quendam, qui dicitur, se Diodorum Melitensem rei capitalis reum uelle facere. primo mirum omnibus uideri, Diodorum reum, hominem quietissimum, ab omni non modo facinore, uerum etiam minimi errati suspicione remotissimum: deinde esse perspicuum, fieri omnia illa propter argentū. iste non dubitat iurare, nomen de ferri. ꝛ tum primū opinor istum absentis nomen recepisse. reclamata Sicilia tota, propter caelati argenti cupiditatem reos fieri reum capitulum, neque solum praesentes, sed etiam absentes. Diodorus Romae sordidatus, circum patronos, atque hospites cursare, rem omnibus narrare. litterae mittuntur isti a patre uehementes, ab amicis itē; uideret, quid ageret de Diodoro, quo progredere tur; rem claram esse, ꝛ inuidiosam; insanire hominem; perituum hoc uo crimine, nisi caussisset. iste etiam tum patrem si non in parentis, at in hominum numero putabat: ad iudicium nondum se satis instruxerat: primus annus erat prouinciae, non, ut in Stbenio, iam refferus pecuniarum: quo furor eius paululum non pudore, sed metu, ac timore repressus est; condemnare Diodorum non audeat, absentem de reis eximit. Diodorus in rebus, praetore isto, prope trienniū prouincia, domoq. corruit. ceteri non solum Siculi, sed etiam ciues R. hoc statuerant; quoniam iste tantum cupiditate progredere tur, nihil esse, quod quisquam putaret se, quod isti paulo magis placeret, conseruare, aut domi suae retinere posse. postea uero quam intellexerunt, isti uirum fortem, quem summāe prouincia exspectabat, Q. Arriū non succedere; statuerunt se nihil tam clausum, neque tam reconditum posse habere, quod non istius cupiditati apertissimum, promptissimumq. esset. Tum iste ab equite R. splendido, ꝛ gratioso, Cn. Calidio, cuius filiū sciebat senatorem populi R. ꝛ iudicem esse, equuleos argenteos nobiles, qui Q. Maximi fuerant, aufert. imprudēs huc incidi, iudices: emit enim, nō abstulit. nolē dixisse: iactabit se, ꝛ in his equitabit equuleis. emi: pecuniam solui. credo, etiam tabulae proferentur. est tanti. cedo tabulas. dilue sane crimen hoc Calidianū, dum ego tabulas adspicere possim. uerum tamen quid erat, quod Calidius Romae quereatur, se, cum tot annos in Sicilia negotiaretur, abs te solo ita esse contemptum; ita de spectum, ut etiam cum ceteris Siculis despoliaretur; si emeris? quid erat, quod confirmabat

se abs te argentum esse repetituum, si tibi sua uoluntate uendiderat? tu porro posses facere, ut Cn. Calidio non redderes ꝛ praesertim cum is L. Sisenia, defensore tuo, tam familiariter uteretur, cum ꝛ ceteris familiaribus Siseniae reddidisses, denique non opinor negaturum esse te, homini honesto, sed non gratiosiori, quā Cn. Calidius est, L. Cordio argentum per Potamonem, amicum tuum, reddidisse. qui quidem ceterorum causam apud te difficiliorem fecit. nam cum te compluribus confirmasset redditurum; postea quam Cordius testimonio dixit te sibi reddidisse, sinē reddendi fecisti; quod intellexisti te praeda de manibus amissa, testimonium tamen effugere non posse. Cn. Calidio, equiti R. per omnes praetores licuit argentum habere bene factum: licuit posse; domesticis copijs, cum magi stratū aut aliquem superiorem inuitasset, ornare, ꝛ apparare conuiuium. multi domi Cn. Calidij cum imperio, ac potestate fuerunt: nemo inuentus est tam amens, qui illud argentum, tam praeclarum, ac tam nobile, eriperet; nemo tum audax, qui posceret; nemo tam impudens, qui postularer; ut uenderet. superbum est enim iudices, ꝛ non ferendum. dicere praetorem in prouincia homini honesto, locupleti, splendido, uende mihi uasa caelata. hoc est enim dicere, non es dignus tu, qui habeas, quae tam bene facta sunt: meae dignitatis ista sunt. tu dignior Verres, quam Calidius? qui, ut non conferam uitam, atque existimationem tuam cū illius, (neque enim est conferenda) hoc ipsum conferam, quod tu te superiorem fingis, quod HS LXXX diuisionibus, ut praetor renunciare, dedisti; CCC accusatori, ne tibi odiosus esset. ea re contemnis equestrem ordinem, ac despicias? ea re indignum tibi uisum est, quid quam, quod tibi placeret, Calidium potius habere, quā te? iactat se iam dudum de Calidio: narrat omnibus, se emisse. num etiam de L. Papirio, uiro primario, locuplete, honestoq. equite R. thuribulum emisti? qui testimonio dixit, te, cum inspiciendū poposcisses, amulo emblemate remisisse: ut intelligatis in homine intelligentiam esse, non auaritiam; artificij cupidum, non argenti fuisse. nec solum in Papirio fuit hac abstinentia: tenuit hoc institutum in thuribulis omnibus, quae cumque in Sicilia fuerunt. incredibile est autem, quā multa, ꝛ quam praeclara fuerint. credo tum, cum Sicilia florebat opibus, ꝛ copijs, magna artificia fuisse in ea insula. nam domus erat. ante istum praetorem nulla paullo locupletior, qua in domo haec non essent, etiam si praeterea nihil esset argenti, patella grandis, cum sigillis ac simulacris deorum; patera, qua mulieres ad res diuinas uterentur; thuribulum. haec autem omnia antiquo opere, ꝛ summo artificio facta: ut hoc liceret suspicari, fuisse aliquando apud Siculos peraequa portione ceteras; sed, quibus multa fortuna ademisset, tamen apud eos remansisse ea, quae religio retinisset.

## EXPLANATIO

**SALVTEM** uiri ꝛ Amphiarai uatis : quem latentem , ne ad bellum Thebanum iret, quod ibi se speritum ex augurijs nouerat , aucto monili corrupta uxor Polynici prodidit . Seruius in illud Virg. lib. vi. Maestamq. Eriphylen , Crudeles nati monstrantem uulnera , cernit . Attingit hanc fabulam Aeschylus in septem , Euripides in Phoenissis , Plato de rep lib. IX. Pansanias in Articiis Cicero in ep. ad Caecinam , cum ait : Prudens & sciens , tamquam Amphiaras in fabulis , ad exitium ruertem uoluntarium . Et Propertius in eo uersu :

Adspice , quid donis Eriphyla inuenit amaris.

**DE SVIS canibus** quendam ꝛ de suis domesticis , ut lib. i. Multa sibi opus esse , multa canibus suis , quos circa se haberet . Lib. ii. Ista cohors quorum hominum est : Volusij haruspiciis , Cornelij medici , & horum canum , quos tribunal meum uidet lambere . **CASTRA iam mouerat** , ꝛ argute , pro , discesserat : quia sequitur , Vasa collegerat : nam uasa , idest impedimenta , milites colligunt castra moturi : iocus est : quia sua uasa , idest scyphos , Diodorus abstulerat . **TVM primum** ꝛ primo anno praeturae Siciliensis , nam postea Sthenij Thermitani absentis nomen recepit . **AD IUDICIUM** ꝛ hoc repetundarum . **INSTRUXERAT** : ꝛ pecunia , ex furtis , iniquisq. damnationibus collecta . **EQVULEOS argenteos nobiles** ꝛ equulei sunt pulli equini : sunt etiam tormenta quaedam : hic uidentur esse uasa caelata , cum aliqua fortasse equi forma , unde nomen acceperint : subiungit enim infra de his ipsis equuleis : **Vende mihi uasa caelata** . **Q. MAXIMI** ꝛ Fabij , qui de Allobrogibus triumphauit . hunc enim , ut rebus gestis clariorem , significari malo , quam alterum , eiusdem aetatis . **Q. Maximum** , cui cognomen Eburno fuit , **IN HIS equitabit equuleis** . ꝛ ex hoc equuleorum crimine defensionem arripit : non se abstulisse dicit , sed emisse . exulabit , & in his quasi equitabit equuleis , quod hoc se Calidianum crimen facile speret posse diluere . **CREDO , etiam tabulae proferentur** . ꝛ pungit Verrem , qui se tabulas eius temporis confecisse iam negauerat . est enim cum ironia dictum : **Crede** , etiam tabulae proferentur . & hunc sensum confirmat id , quod sequitur , **Est tanti** : idest : Expedit tibi : operae pretium est : digna res uideatur , propter quam tabulas proferas ; quas habere te negasti . Eodem respiciunt illa uerba : **Dilue sane crimen hoc Calidianum** , dum ego tabulas adspicere possim : quod ualet : malo tabulas adspicere , quam crimen hoc obtinere . nam , si tabulas uidero , ijs ipsis utar ad probanda , quae dico , quam plurima . **NEGOTIARETUR** , ꝛ negotiari licebat equitibus Romanis , senatoribus per leges non licebat . unde in Parad. Propter auaritatem pecuniae nullum quaestum turpem putas : cum isti ordini ne honestus quidem esse possit ullus . **ABS TE solo** ꝛ qui enim antea praetores in Sicilia fuerant , eorum nemo inuentus est tam amens , qui illud argentum , tam praeclarum , ac tam nobile , eriperet ; nemo tam audax , qui posceret ; nemo tam impudens , qui postulare , ut uenderet . **CVM ceteris Siculis** ꝛ Siculi tibi hominis loco fuit : non eius abs te , ut equitis Romani , habita ratio est : eripuisti equuleos argenteos ab eo , ut a Siculis alia perquam multa . **POTAMONEM** ꝛ L. Papirium Potamonem , quo scriba usus erat Caecilium , quaestor Verris . in Diuin. & lib. iii. bis . **DIFFICILIOREM fecit** . ꝛ testimonio suo . cum enim te sibi reddidisse dixit , intellexisti , etiam si ceteris redderes , testimonia tamen eorum effugere non posse . **SUPERIOREM** ꝛ dignitate , ut senatorem **HS LXXX millia** ꝛ scutorum duo millia quadringenti . **NE TIBI odiosus esset** . ꝛ ne tibi negotium facesseret , ne te de ambitu accusaret . **Non caret lepore** , **Ne tibi odiosus esset** . **CVM imperio , ac potestate** ꝛ praetores , & consules . **EQVESTREM ordinem** , ꝛ nam equestris ordinis Calidius . **Ne quis putet** , quia dixit , **Quo** tu te superiorem fingis , Calidium petiisse praeturam cum Verre , & repulsam tulisse . praeturam enim , qui senator non esset , ei petere non licebat . sed in uno Calidio equestris ordinis uniuersi dignitatem Cicero considerat : eoq. contempto , simul uniuersum ordinem contemptum dicit . **INTELLIGENTIAM** ꝛ artificium enim erat in emblemate , non in thuribulo : sed artificium pretij maioris erat , quam argentum . Eodem modo iocatus est infra : **Sigillis auulsis** , reliquum argentum sine auaritia reddidit . **CVM Sicilia floretet omnibus opibus** , & copijs , ꝛ ante quam a Poenis uexari coepta est . Sic de inuent. lib. Crotoniatae , cum florent omnibus copijs . **ANTE istum praetorem** ꝛ qui patellas , pateras , thuribula abstulit omnia . Sermo est ad indicandam auaritiam Ciceroni familiaris . cuius exempla quaedam in Diuin. recitauimus in eo loco , Quae mulier ante hunc quaestorem copiosa plane , & locuples fuit . **PATELLA grandis** ꝛ contraria uidentur , Patella , & Grandis . itaque malim , Patera grandis : & post , Patella , non , Patera . **QVAE religio retinisset** . ꝛ ergo rebus diuinis paterae , patellae , thuribula seruiebant .

## ORATIO

**DIXI** , iudices , multa fuisse fere apud Siculos omnes : ego idem confirmo , nunc ne unum quidem esse . quid hoc est ? quod monstrum , quod prodigium in prouinciam misimus ? non ne uobis id egisse uideatur , ut non unius libi dinem , non suos oculos , sed omnium auarissimorum insanias , cum Romam reuertisset , exploraret qui simul atque in opidum quooppia uenerat . immittebantur illi continuo Cibratici canes , qui inuestigabant , & perscrutabantur omnia . si quod erat grandiuas , & maius opus inuentum , laeti auferebant . si mi-

nus eiusmodi quippiam uenari poterat, illa quidem certe pro lepisculis capiebantur, patellae, paterae, thuribula. hic quos putatis fletus mulierum, quas lamentationes fieri solitas esse in hisce rebus? quae forsitan nobis paruae esse uideantur; sed magnum & acerbum dolorem commouent, mulierculis praesertim, cum eripiuntur e manibus ea, quibus ad res diuinas uti consueuerunt, quae a suis acceperunt, quae in familia semper fuerunt. Hic nolite expectare, dum ego hoc crimen agam ostiatim: ab Aeschulo Tindaritano istum pateram abstulisse, a Thrasono item Tindaritano patellam, a Nymphodoro Agragantino thuribulum. cum testes ex Sicilia dabo; quem uolet, eligat, quem ego interrogem de patellis, pateris, thuribulis: non opidum nullum, sed ne domus quidem ulla paullo locupletior expertis huius iniuriae reperietur. quid cum in conuiuio uenisset, si quidquam caelati adspexerat, manu abstinere, iudices, non poterat. Cn. Pompeius est Philo; qui fuit Tindaritanus. is cenam isti dabat apud uillam in Tindaritano. fecit, quod Siculi non audebant. ille, cuius R. quod erat, impunitus id se facturum putauit. apposuit patellam in qua sigilla erant egregia. iste continuo, ut uidit, non dubitauit illud insigne penatum, hospitaliumque deorum ex hospitali mensa tollere: sed tamen, quod antea de istius abstinentia dixeram, sigillis auulsis reliquum argentum sine ulla auaritia reddidit. Quid? Eupolemo Calatino, homini nobili, Lucullorum hospitali, ac perfamiliari, qui nunc apud exercitum cum L. Lucullo est, non idem fecit? cenabat apud eum. argentum illi ceterum purum, ne purus ipse relinqueretur, duo pocula non magna, uerum tamen cum emblematis, apposuerat. hic, quasi festiuium acroama, ne sine corollario de conuiuio discederet, ibidem, conuiuii inspectantibus, emblemata auellenda curauit. Neque ego nunc istius facta omnia enumerare conor: neque opus est: nec fieri ullo modo potest: tantummodo uniuscuiusque de uaria improbitate generis indicia apud uos, & exempla profero. neque enim ita se gessit in his rebus, tamquam rationem aliquando esset redditurus; sed prorsus ita, quasi aut reus numquam esset futurus, aut, quo plura abstulisset, eo minore periculo in iudicium esset uenturus; qui haec, quae dico, iam non occulte, non per amicos, atque interpretes, sed palam de loco superiore ageret pro imperio, & potestate. Catina cum uenisset, opidum locuples, honestum, copiosum, Dionysiarum ad se Proagorum, hoc est summum magistratum, uocari iubet. ei palam imperat, ut omne argentum, quod apud quemque esset Catinae, conquirendum curaret, & ad se transferendum. Philarchum Centuripinum, primum hominem genere, uirtute, pecunia, non hoc idem iuratum dicere audistis? sibi istum negotium dedisse, atque imperauisse, ut Centuripis, in ciuitate totius Siciliae multo maxima, & locupletissima, omne argentum conquireret, & ad se comportari iuberet, Agrigio similiter istius imperio ua-

sa Corinthia per Apollodorum, quem testem audistis, Syracusas deportata sunt. illa uero optima, quod, cum Haluntinum uenisset praetor laboriosus, & diligens, ipse in opidum accedere noluit, quod erat difficili aduersu, atque arduo: Archagathum Haluntinum, hominem non solum domi suae, sed tota Sicilia in primis nobilem, uocari iussit: ei negotium dedit, ut, quid quid Haluntii esset argenti caelati, aut si quid etiam Corinthiorum, id omne statim ad mare ex opido deportaretur. adscendit in opidum Archagathus homo nobilis, qui a suis & amari, & diligi uellet, ferebat grauius, illam sibi ab isto prouinciam datam: nec, quid faceret, habebat: pronunciat, quid sibi imperatum esset: iubet omnes proferre, quae haberent. metus erat summus: ipse enim tyrannus non discedebat longius: Archagathum & argentum, in lectica cubans, ad mare infra opidum expectabat. quem concursum factum in opido putatis? quem clamorem? quem porro fletum mulierum? qui uiderent, equum Troianum introductum, urbem captam esse dicerent. efferris sine rebus uasa, extorqueri alia de manibus mulierum, effringi multorum fores, reuelli claustra. quid enim putatis? scuta si quando conquiruntur a priuatis in bello, ac tumultu, tamen homines inuiti dant, etsi ad salutem communem dari sentunt: ne quem putetis sine maximo dolore argentum caelatum domo, quod alter eriperet, protulisse. omnia deferuntur. Cibyraeae fratres uocantur: pauca improbant: quae probant, ijs crustae, aut emblemata detrahuntur. sic Haluntini, excussis delicijs, cum argento puro domum reuertuntur. Quod unquam, iudices, huiusmodi euericulum ulla in prouincia fuit? auertere aliquid de publico quam obscurissime per magistratum solebant: etiam aliquid de priuato non numquam occulte auferrebant: & illi tamen condemnabantur. & si quaeritis, (ut egomet mihi detrabam) illos ego accusatores puto fuisse, qui huiusmodi hominum furta odore, aut aliquo leuiter presso uestigio persequerentur. nam nos quidem quid facimus in Verre, quem in luto uolutatum totius corporis uestigijs inuenimus? permagnus est in eum dicere aliquid, qui praeteriens, lectica paulisper deposita, non per praestigia, sed palam, per potestatem, uno imperio, ostiatim, totum opidum compilarit? Attamen, ut possit se dicere emisse, Archagatho imperat, ut aliquid illis, quorum argentum fuerat, nummorum dicis causa daret. inuenit Archagathus paucos, qui uellent accipere: his dedit: eos nummos tamen iste Archagathus non reddidit. uoluit Romae petere Archagathus: Cn. Lentulus. Marcellinus dissuasit, sicut ipsum dicere audistis. atque hac tota de re audistis Archagathi, & Lentuli testimonium. Et, ne forte hominem existimetis hanc tantam uim emblematum sine causa coaceruare uoluisse; uidete, quanti uos, quanti existimationem populi R. quanti leges, & iudicia, quanti testes Siculos, negotiatoresque fecerit.

## EXPLANATIO

CETERA; § profana. FORTUNA, § uis bellorum. INSANIAS § insanas, cupiditates. de quo supra. EXPLERET. § ut ijs in iudicio suffragatoribus uteretur. supra: Multa alijs data, atque donata. CIBYRATICI canes, § Tlepolemus, & Hiero. supra: Canes uenaticos diceret. sequuntur uerba canum propria, Inuestigabant, Perscrutabantur, Venari, Pro lepisculis capiebantur. QUI ERIT Tindaritanus. §

*Vindavitanus* : & ante quam civis Romanus esset. sic in ep. ad Acilium : L. Mallius est Sosis. is fuit Catinensis : postea est cum reliquis. Neapolitanis civis Romanus factus. *QVOD* antea de istius abstinentia dixeram, & cum dixit eum, a uulgo emblemate, thuribulum L. Papirio remisisse : & subiunxit : Ut intelligatis, in homine intelligentiam esse, non avaritiam ; artificij cupidum, non argenti fuisse. *LVEVLORVM* Lucij, & Marci, fratrum, consularium. *APVD exercitum* & qui erant in castris non militandi, sed militiae potius cognoscendae gratia, apud exercitum esse dicebantur : de quibus Caesar lib. I. bel. Gall. Qui ex urbe amicitiae causa Caesarem secuti. Plinius autem lib. XXXIII. cap. I. Pompeium Paullinum, Arelatensis equitis Romani filium, paterna quoque gente pulsum, quod XII pondo argenti habuisset apud exercitum ferocissimis gentibus oppositum, scimus. *CVM L. Lucullo* & Mithridatico bello. *ARGENTVM illi* & malim, Ille : cum sequatur, *Hic. PVRVM* & sine emblematis, *NE PVRIS ipse relinqueretur* ; & ne cum emblematis argentum omne Verres pro sua consuetudine auferret. *PVRUS*, id est inanis, nullo cum argento. *QVASI festiuium acroama*, & Acroama dicebatur, & qui festiue caneret in conuiuiis ; cui munera dabantur ; & res ipsa, quae canebatur. hic accipitur pro eo, qui caneret. *PARDIORVM*, & senatorum Catinensium, ut opinor. *ILLA uero optima*, & quae excellent inter cetera : pro, summe improba. *SI QVI D etiam Corinthiorum*, & hoc addidit, quasi uiliora essent, quia non ex aere, sed ex aere. *UT OMNE statim* & Ut uidetur, abundare : sed non abundat : iterat enim saepe hanc particulam Cicero : ut alibi ostendimus. *LABORIOSVS, & diligens*, & ironia. sequitur enim : In opidum accedere noluit, quod erat ascensu arduo. *INFRA opidum* & legit Seruius, Intra moenia, opidi, id est arcis, deinde suburbanorum in planitie. Sed in opido habitabat in ij, quibus argentum erat. *EXCVSIS delicijs*, & detractis crustis. & emblematis, quibus argentum in delicijs erat. *PER magistratum* & eius ciuitatis. *ACCVSATORES* & dignos hoc nomine, qui occulta perquirerent, & inuenirent. *PER praestigia*, & quam obscurissime : ut supra dixit. *DICIS causa* & unde hoc deductum sit, non plane constat : deductum tamen a uerbo, Dico, ostendit Varro : & hoc, Dicis causa, aetate, quoque sua antiquum ait esse. *Vsurpatur a ueteribus pro, Ad speciem* : ut uere, ac serio factum uideretur, id, quod simulatione quadam factum erat. exempla non desunt apud iuriconsultos. Caius : Cum dicis gratia, loco numerationis, pecuniae interuenit. *Vlpianus* : Si finxit quis auxilium ferre, uel dicis gratia tulit. *Idem* : Qui maturius profectus est, uel dicis gratia coepit, reip. causa abesse. Est etiam apud Plinium pontificis mentio dicis gratia epulantis. Horum uerborum sententiam a se primum animaduersam, excellentis uir ingenij, iuris prudentiae laude clarus, Duarenus prodidit. *NON reddidit*. & dederat enim Archagathus de suo, tantum sibi Verrem esse redditurum arbi tratus, quantum ipse dedisset ijs, quorum argento crustae & emblemata fuerant auulsa. *CN. LENTVLVS Marcellinus* & de quo diximus in Diuin.

## ORATIO

**P**OSTEA quam tantam multitudinem collegerat emblematum, ut ne unum quidem cuiquam reliquisse ; instituit officinam Syracusis. in regiam maximam palam artifices omnes, caelatores, ac uasculares conuocari iubet : & ipse suos complures habebat. eo conducit magnam hominum multitudinem. menses octo continuos opus his non desuit : cum uas nullum fieret, nisi aureum. tum illa, ex patellis, & thuribulis quae uel lerat, ita scite in aureis poculis illigabat, ita apte in scyphis aureis includebat, ut ea ad illam rem nata esse diceret : ipse tamen praetor, qui sua uigilantia pacem in Sicilia dicit fuisse, in hac officina maiorem partem diei cum tunica pulla sedere solebat, & pallio. Haec ego, iudices, non audeam proferre, ni uererer, ne forte plura de isto ab alijs in sermone, quam a me in iudicio, audisse uos diceretis. quis enim est, qui de hac officina, qui de uasis aureis, qui de istius pallio, tunica pulla non audierit ? quem uoles de conuentu Syracusanorum uirum bonum nominato : producam : nemo erit, quin hoc se aut uidisse, aut audisse dicat. o tempora : o mores. nihil nimum uetus proferam. sunt uestrum, iudices, quam multi, qui L. Pisonem cognouerunt, huius L. Pisonis, qui praetor fuit, patrem. is cum esset in Hispania praetor, qua in prouincia occisus est ; nescio quo pacto, dum armis exercetur, anulus aureus, quem habebat, fractus est, & comminutus. cum uellet sibi anulum facere, aurificem iussit uocari in foro, ad sellam, Coranbae ; & ei palam appendit aurum. hominem in

foro sellam iubet ponere, & facere anulum omnibus praesentibus. nimum fortasse dicit aliquis hunc diligentem. haftenus reprehendat, si quis uolet : nihil amplius. uerum fuit ei concedendum. filius enim L. Pisonis erat eius, qui primus de pecunijs repetundis legem tulit. ridiculum est nunc de Verre me dicere, cum de Pisonem Frugi dixerim. uerum tamen, quantum interest, uidete. iste cum aliquot abacorum faceret uasa aurea, non laborauit, quin non modo in Sicilia, uerum etiam Romae in iudicio audiretur : ille in auri sententia totam Hispaniam scire noluit, unde praetori anulus fieret. nimirum ut hic nomen suum comprobauit, sic ille cognomen. Nullo modo possum omnia istius facta aut memoria consequi, aut oratione complecti : genera ipsa cupio breuiter attingere : ut hic modo me commouit Pisonis anulus, quod totum effluxerat. Quam multis istum putatis hominibus honestis de digitis anulos aureos abstulisse ? numquam dubitauit, quotiescumque alicuius aut gemma, aut anulo delectatus est. incredibilem rem dicam, sed tam claram, ut ipsum negaturum non arbitrer. Cum Valentio, eius interprete, epistola Agraganto allata esset, casu signum iste animaduertit in eretularum placuit ei : exquisiuit, unde esset epistola : respondit, Agraganto. iste litteras, ad quos se lebat, misit, ut is anulus ad se primo quoque tempore afferretur. ita litteris istius patris familias L. Titio cuiusdam cini R. anulus de digito detractus est. Illa uero eius cupiditas incredibilis est. nam, ut in singula con-

clania,

clauia, quae iste non modo Romae, sed omnibus in uil-  
lis habet tricenos lectos optime stratos cum ceteris or-  
namentis conuiuij quaereret, nimium multa compara-  
re uideretur. nulla domus in Sicilia locuples fuit, ubi  
iste non extrinam instituerit. mulier est Segeſtana per-  
diues, & nobilis, Lamia nomine. per triennium isti,  
plena domo telarum, stragulam uestem confecit, nihil  
non conchylio tinctum. Attalus, homo pecuniosus,  
nec uulgo, Lilybaei, Critolaus Ennae, Syracusis Aes-  
chrio, Cleomenes, Theomnastus, Pelori Archonides,  
Megistus. uox me citius defecerit, quam nomina ip-

se dabat purpuram tantum, amici operas. credo: iam-  
enim non libet omnia criminari: quasi uero hoc mihi nõ  
satis sit ad crimen, habuisse tam multum, quod daret;  
uoluisse deportare tam multa: hoc denique, quod concedit,  
amicorũ operis esse in huiusmodi rebus usum.  
Iam uero lectos aeratos, & candelabra aenea num cui,  
praeter istum, Syracusis per triennium facta esse existi-  
matis? Emebat, credo: sed tantum uos certiores, iu-  
dices, facio, quid iste in prouincia praetor egerit, ne-  
cui forte nimium negligens fuisse uideatur, neque se sa-  
tis, cum potestatem habuerit, instruxisse, & ornasse.

## EXPLANATIO

**O** P *vs his non defuit*; non defuit, quod agerent. **C** Y M *tunica pulla*; non senatoria, quae a la-  
tis purpureis clauis Latus clauus dicebatur. **P** A L L I O; more Graeco non Romana toga. **Q** U A M  
*multi*; quasi admirantis, ut lib. I. I. I. Feecerunt aliqui alia quam multa. **A** D **S** E L L A M, in qua sedebat  
ipse praetor. **H** A C T E N V S; quod nimium se in probanda integritate abstinentiaq. sua diligentem osten-  
derit. **N** I H I L *amplius*. nihil addat. rem enim ipsam quis magna laude dignam esse neget? **D** E **V** E R-  
**R** E; Pisoni dissimillimo. **A** L T I Q U O R *abacorum*; cum singuli abaci uasa multa cupiant. **A** V R I *semuncia*;  
scutatis quattuor, paullo ue amplius. auri enim pretium decuplo argento praestat, ut ait Pollux. **N** O-  
**M** E N *suum*; quasi Verres dictus a Verrendo sit. Nomen dixit pro cognomen: quia Verrem semper  
appellat, omisso gentis nomine, ad maiorem ignominiam, & simul, ut puto, ne gentem Corneliam, e  
qua Verres fuit, offenderet. **Q** U O D *totum effluerat*. mirum oratoris artificium in addenda, sine iudi-  
cum fastidio, ac satietate, nouare. **I** N **C** R E T Y L A; & cera, & creta in obſignandis litteris ueteres ute-  
bantur. Asiaticam cretam, qua publicani uterentur, Cicero nominat in oratione pro Flaco. **N** I M I V M  
*multa*; quae comparauit, ita multa sunt, ut, si in singula sua conclauia tricenos lectos optime stra-  
tos, cum ceteris conuiuij ornamentis quaereret, haud pauca tamen ei superessent. **C** O N C H Y L I O *tin-*  
*ctum*; purpura intertextum. **N** E C *uulgo*, nec uulgaris homo, sed honestus. **I** P S E; Verres. **O** P E-  
**R** A S; qui opus facerent, eorum impensa, non Verres. **C** R E D O; hoc non negauerim, ipsum pur-  
puram dedisse: ne criminari omnia uidear. **H** A B V I S S E *tam multum, quod daret*, unde enim habuit,  
nisi ex rapinis, & furtis? **H** O C *denique*; nam & in hoc ipso crimen est. **Q** U O D *concedit*, quasi licue-  
rit. **L** E C T O S *aeratos*; cubiculares, & tricliniaries erant lecti, illi, nocturnae quietis causa, hi, unde  
cibum accubantes caperent: qui primum lignei, ut rude, expersq. deliciarum priscum saeculum fuit,  
deinde, corruptis peregrino luxu moribus, aerati, postremo etiam eburni, argentei, auti fuere. & cum  
ait Plinius lib. XXXIV. c. III. Cn. Manlius, deuicta Asia, triclinia aerata, abacos, & monopodia pri-  
mum inue xisse triumpho suo, quem anno V. C. DLXVII duxit; lectos aeratos, qui ponebantur in tri-  
clinij, significat, non ipsa triclinia, quae partes aedium erant, & conclauia dicebantur, a cubiculis  
diuersae, in quibus non cenabatur. **C** Y M *potestatem habuerit*, cum praetor esset: qui sua potestate ad  
libidinem uti non debuit. hoc & supra exagitat his uerbis: Sed quid ego tam uehementer inuehor?  
uerbo iam uno repellar. Emi, inquit. O dii immortales praeclaram defensionem. mercatorem cum  
imperio ac securibus in prouinciam missus, qui omnia signa, tabulas pictas, omne argentum, au-  
rum, ebur, gemmas coemeret. Et lib. I. Hic ego non arbitror illum negaturum, signa sese plurima, ta-  
bularum pictas innumerabiles, habere: sed, ut opinor, solet haec, quae rapuit & furatus est, nonnum-  
quam dicere se emisse: quoniam quidem in Achaïam, Asiam, Pamphyliam sumptu publico, & legatio-  
nis nomine, mercator signorum, tabularumq. pictarum missus est.

## ORATIO

**V** E N I O nunc non iam ad furtum, non ad auar-  
itiam, non ad cupiditatem, sed ad eiusmodi fa-  
cinius, in quo omnia nefaria contineri mihi, atque in-  
esse uideantur: in quo dii immortales uiolati, existi-  
matio, atque auctoritas nominis populi R. imminuta, ho-  
spitium spoliatur, ac proditum, ab alienati scelere istius  
a nobis omnes reges amicissimi, nationesque, quae in  
eorum regno, ac ditione sunt. Nam reges Syriae, regis  
Antiochi filios, pueros, scitis Romae nuper fuisse, qui  
uenerant, non propter Syriae regnum: nam id sine con-  
trouersa obtinebant, ut a patre, & a maioribus acce-  
perant: sed regnum Aegypti ad se, & ad Selinem, ma-

trem suam, pertinere arbitrabantur. hi postquam tem-  
poribus populi R. exclusi, per senatum agere, quae uo-  
luerant, non potuerunt; in Syriam in regnum patrum  
profecti sunt. eorum alter, qui Antiochus uocatur,  
iter per Siciliam facere uoluit: itaque isto praetore ue-  
nit Syracusas. hic Verres hereditatem sibi uenisse ar-  
bitratus est; quod in eius regnum, ac manus uene-  
rat is, quem isse & audierat multa secum praecela-  
ra habere, & suspicabatur. mittit homini munera sa-  
tis large; ad usum domesticum, uini, olei, quod u-  
sum erat; etiam tritici, quod satis esset, de his decu-  
mis. deinde ipsum regem ad cenam uocauit. exornat

HH ample,

ample, magnificeq. triclinium: exponit ea, quibus abundabat, plurima, ac pulcherrima uasa argentea: namque haec aurea nondum fecerat. omnibus, curat, rebus instructum & paratum ut sit conuiuium. quid multa? rex ita discessit, ut & istum copiose ornatum, & se honorifice acceptum arbitraretur. uocat ad cenam deinde ipse praetorem: exponit suas copias omnes, multum argentum, non pauca etiam pocula ex auro: quae, ut mos est regius, & maxime in Syria, gemmis erant distincta clarissimis. erat etiam uas uinari-um ex una gemma pergrandi, trulla excauata, cum manubrio aureo; de qua, credo, satis idoneum, satis grauem testem, Q. Minucium dicere audistis. iste u- numquodque uas in manus sumere, laudare, mirari. rex gaudere, praetori populi R. satis iucundum, & gra- tum illud se conuiuium. postea quam inde discessum est, cogitare iste nihil aliud, quam, id quod ipsa res declarauit, quemadmodum regem ex prouincia spolia- tum, ex pilatumq. dimitteret. mittit rogatum uasa ea, quae pulcherrima apud illum uiderat: ait se suis caela- toribus uelle ostendere. rex, qui istum non nosset, nulli suspitione libentissime dedit. mittit etiam trullam gemmeam rogatum; uelle eam se diligentius conside- rare. ea quoque ei mittitur. nunc reliquum, iudices, attendite, de quo & uos audistis, & populus R. non- nunc primum audiet, & in exteris nationibus usque ad ultimas terras peruagatum est. Candelabrum e gem- mis clarissimis, opere mirabili perfectum, reges hi, quos dico, Romam cum attulissent, ut in Capitolio po- nerent; quod nondum etiam perfectum templum offen- derant, neque ponere, neque uulgo ostendere, ac pro- fferre uoluerunt; ut & magnificentius uideretur, cum suo tempore in cella Iouis Optimi Maximi poneretur; & clarius, cum pulchritudo eius recens ad oculos homi- num, atque integra perueniret. statuerunt id secum in Syriam reportare, ut, cum audissent simulacrum Iou- is Optimi Maximi dedicatum, legatos mitterent, qui cum ceteris rebus illud quoque eximium, atque pul- cherrimum donum in Capitolium afferrent. peruenit res ad istius aures nescio quo modo: nam rex id cela- tam uoluerat: non quo quidquam metueret, aut suspi- caretur, sed ut ne multi illud ante perciperent oculis, quam populus R. iste petit a rege, & enim pluribus uer- bis rogat, uti ad se mittat: cupere se dicit inspicere, neque se alijs uideri potestatem esse facturum. Antio- chus, qui animo & puerili esset, & regio, nihil de istius improbitate suspicatus est: imperat suis, ut id in praetorium inuolutum quam occultissime deferrent. quo postea quam attulerunt, inuolucrisq. reiectis con- stituerunt: iste clamare coepit, dignam rem esse regno Syriae, dignam regio munere, dignam Capitolio: ete- nim erat eo splendore, qui ex clarissimis, & plurimis gemmis esse debebat; ea uarietate operum, ut ars cer- tare uideretur cum copia, ea magnitudine, ut intelli- gi posset, non ad hominum apparatus, sed ad amplissi- mi templi ornamentum esse factum. quod cum satis iam perspexisse uideretur, tollere incipiunt, ut refer- rent. iste ait, se uellae illud etiam atque etiam consi- derare; nequaquam se esse satiatum. iubet illos disce- dere, & candelabrum relinquere. sic illi tum inanes ad

Antiochum reuertuntur. rex primo nihil metuere, ni- hil suspicari. dies unus, alter, plures: non referri. tum mittit rex ad istum: si sibi uideatur, ut reddat, iubet iste posterius ad se reuerti. mirum illi uidetur. mittit ue- rum. non redditur. ipse hominem appellat: rogat, ut reddat. os hominis, insignemq. impudentiam cognosce- re. quod sciret, quodq. ex ipso rege audisset in Capitolio esse ponendum, quod Ioui Optimo Maximo, quod populo R. seruari uideret, id sibi ut donaret, rogare, & uehementer petere coepit. cum ille se & religione Iouis Capitolini, & hominum existimatione impediri dice- ret, quod multae nationes testes essent illius operis, ac muneris: iste homini minari accerrime coepit. ubi ui- det eum nihilo magis minis, quam precibus permoue- ri: repente hominem de prouincia iubet ante nossem discedere: ait se comperisse, ex eius regno piratas in Siciliam esse uenturos. rex maximo conuentu Syracu- sis, in foro, ne quis forte me in crimine obscuro uer- sari, atque effingere aliquid suspitione hominum ar- bitraretur, in foro, inquam, Syraculis, stens, deos hominesq. contestans clamare, coepit, candelabrum factum e gemmis, quod in Capitolium missurus es- set, quod in templo clarissimo, populo R. monumen- tum suae societatis, amicitiaeque esse uoluisset, id sibi C. Verrem abstulisse. de ceteris operibus ex auro, & gemmis, quae sua penes illum essent, se non laborare & hoc sibi eripi, miserum esse, & indignum: id estiam- tra iam mente, & cogitatione sua fratrisq. sui conse- cratum esset, tamen tum se in illo conuentu ciuium R. dare, donare, dicare, consecrare Ioui Optimo Maxi- mo, testemq. ipsum Iouem suae uoluntatis, ac religio- nis adhibere. Quae uox? quae latera? quae uires hu- ius unius criminis querimoniam possint sustinere? rex Antiochus, qui Romae ante oculos omnium nostrum biennium fere comitatu regio, atque ornatu fuisse, is cum amicis, & sociis populi R. esset, amicissimo pa- tre, auo, maioribus, antiquissimis, & clarissimis re- gibus, opulentissimo, & maximo regno, praiceps prouincia populi R. exturbatus est. Quemadmodum hoc acceptum ab nationes exteris, quemadmodum hu- ius tui facti famam in regna aliorum, atque in ultimas terras peruenituram putasti, cum audierint, a praeto- re populi R. in prouincia uiolatum regem, spoliatum ho- spitem, eiectum socium populi R. atque amicum? no- men uestrum; populiq. R. odio; atque acerbita- ti scitote nationibus exteris, iudices, futurum, si istius haec tanta iniuria impunita discesse rit. sic omnes arbi- trabuntur, praesertim cum haec omnino fama de nostro rum hominum auaritia, & cupiditate percreberit; no- istius solius hoc esse facinus, sed eorum etiam, qui ap- probarint. multi reges, multae liberae ciuitates, multi priuati opulenti, ac potentes habent profecto in animo Capitolium sic ornare, ut templi dignitas, imperijq. no- stri nomen desiderat. qui si intellexerint, interuerso ve- gali hoc dono, grauer uos tulisse: grata fore uobis populoq. R. sua studia, ac dona arbitrabuntur. sin hoc uos in rege tam nobili, in re tam eximia, in iniuriatam acerba neglexisse audierint: non erunt tam amentes, ut operam, curam, pecuniam impendant in eas res, quas uobis gratas fore non arbitrentur.

EXPLANATIO

**T**EMPORIBVS. populi Romani ꝛ fortasse propter duo bella difficillima, quae tum gerebantur, Mithridaticum in Asia duce Lucullo, Sertorianum in Hispania ducibus Metello Pio, Cn. Pompeio Magno. ANTIQVVS ꝛ uide Appianum in Syriaco. IN EIVS regnum, ꝛ regnabat enim plane Verres in Sicilia. DE HIS decumis, ꝛ quas supra commemoravi, per iniuriam ereptis. TRVLLA ꝛ unde uinum effunditur. NISI ꝛ uidetur abundare. NON DV M etiam perfectum templum ꝛ quod cum incendio deflagrasset, Sulla mortuo Q. Catulus refecit, & consecrauit. Plutarchus, Appianus, Florus. VT ARS certare uideretur cum copia; ꝛ similis in laudando Pompeio sententia in oratione pro Balbo: In quo uo summa fortuna cum summa uirtute certauit. Et in uituperando Pisone: Cuius, ut prouinciam tetigit, sic fortuna cum improbitate certauit, ut nemo posset, utrum deterior, an infelicior esset, iudicare.

ORATIO

**H**oc loco, Q. Catule, te appello: loquor enim de tuo clarissimo, pulcherrimoq. monumento. non iudicis solum seueritatem in hoc crimine, sed prope inimici, atque accusatoris uim suscipere debes. tuus est enim bonus in illo templo, senatus populiq. R. beneficio: tui nominis aeterna memoria simul cum templo illo consecratur: tibi haec cura suscipienda, tibi haec opera sumenda est, ut Capitolium, quo modo magnificentius est restitutum, sic copiosius ornatum sit, quam fuit; ut illa flamma diuinitus extitisse uideatur, non quae deleat. Iouis Optimi Maximi templum, sed quae praeclearius magnificentiusq. deposceret. audisti Q. Minucium Rufum dicere, domi suae diuersatum esse Antiochum regem Siracusis, se illud scire ad istum esse delatum, se scire non redditum. audisti, & audies omni e conuentu Siracusano, qui ita dicant, sese audientibus, illud Ioui Optimo Maximo dicatum esse ab rege Antiocho, & consecratum, si index non esses, & haec ad te delata res esset; te potissimum hoc persequi, te petere, & agere oportere. quare non dubito, quo animo index huius criminis esse debeas, qui apud alium iudicem multo acrior, quam ego sum, actor, accusatorq. esse deberes. Vobis autem, iudices, quid hoc indignius, aut quid minus ferendum uideri potest? Verres ne habebit domi suae candelabrum Iouis Optimi Maximi, e gemmis auroq. perfectum? cuius fulgore collucere, atque illustrari Iouis Optimi Maximi templum oportebat, ad apud istum in eiusmodi conuiuijs constitueret, quae domesticis stupris, flagitijsq. flagrabunt? in istius leuonidis turpissimi domo simul cum ceteris Chelidonis hereditarijs ornamentis Capitolij ornamenta ponentur? quid huic sacri umquam fore, aut quid fuisse religiosi putatis, qui nunc tanto scelere se obstrictum esse non sentiat? qui in iudicium ueniat, ubi ne precari quidem Iouem Optimum Maximum, atque ab eo auxilium petere more omnium possit? a quo etiam dii immortales sua repetunt in eo iudicio, quod hominibus ad suas res repetendas est constitutum. Miramur Athenis Minervam, Deli Apollinem, Funonem Sami, Pergae Dianam, multos praeterea ab isto deos tota Asia, Graeciaq. uiolatos, qui a Capitolio manus abstinere non potuerunt? quod priuati homines de suis pecunijs ornant, ornaturiq. sunt, id C. Verres ab regibus ornari, non est passus. itaque, hoc nefario scelere concepto, nihil potest tota in Sicilia neque sacri, neque religiosi esse duxit:

ita sese in ea prouincia per triennium gessit, ut ab isto non solum hominibus, uerum etiam dijs immortalibus bellum indictum putaretur. Segesta est opidum peruectus in Sicilia, iudices, quod ab Aenea fugiente a Troia, atque in haec loca ueniente conditum esse demonstrant, atque Segestani non solum perpetua societate, atque amicitia, uerum etiam cognatione se cum populo R. coniunctos esse arbitrantur. hoc quondam opidum, cum illa ciuitas cum Poenis, suo nomine, ac sua sponte, bellaret, a Carthaginiensibus ui captum, atque deletum est, omniaque, quae ornamento urbi esse possent, Carthaginem sunt ex illo loco deportata. fuit apud Segestanos ex aere simulacrum Dianae, tum summa, atque antiquissima praeditum religione, tum singulari opere, artificioq. perfectum. hoc translatum Carthaginem, locum tantum, hominesq. mutarat, religionem quidem pristinam conseruabat: nam propter eximiam pulchritudinem etiam hostibus digna, quam sanctissime colerent, uidebatur. aliquot saeculis post P. Scipio bello Punico tertio Carthaginem cepit. qua in uictoria (uidete hominis uirtutem, & diligentiam, ut & domesticis praeclearissimae uirtutis exemplis gaudeatis, & eo maiore odio dignam istius incredibilem audacia indicetis) conuocatis Siculis omnibus, quod diuinitus, saepissimeq. Siciliam uexatam a Carthaginiensibus esse cognorari, iubet omnia conquiri: sibi pollicetur magnae curae fore, ut omnia ciuitatibus, quae cuiusque fuissent, restituerentur. tum illa, quae quondam fuerant Himera sublatas, de quibus antea dixi, Thermitanis sunt reddita. tum alia Gellensibus, alia Agragantinis, in quibus etiam ille nobilis taurus, quem crudelissimus omnium tyrannorum Phalaris habuisse dicitur, quo uiuos supplicij causa demittere homines, & subijcere flammam solebat. quem taurum Scipio cum redderet Agragantinis, dixisse dicitur, aequum esse illos cogitare, utrum esset Siculis utilius, suis ne seruire, an populo R. obtemperare, cum idem monumentum & domesticae crudelitatis, & nostrae mansuetudinis haberent. illo tempore Segestanis maxima cura haec ipsa Diana, de qua diximus, redditur: reportatur Segestam: in suis antiquis sedibus, summa cum gratulatione ciuium, & laetitia, & reponitur. haec erat posita Segestae, sane excelsa in basi, in qua grandibus litteris P. Africani nomen erat incisum, eumq. Carthagine capta restituisse perscriptum. colebatur a



ei iudicibus: ab omnibus aduenis uisebatur. cum quæstor essem, nihil mihi ab illis est demonstratum prius. erat admodum amplum, & excelsum signum cum stola: ueruntamen inerat in illa magnitudine ætas, atque habitus uirginalis: sagittæ pendebant ab humero: sinistra manu retinebat arcum: dextra ardentem faciem præferebat. hanc cum iste, sacrorum omnium hostis, religionumque prædo, uidiisset; quasi ipsa illa facie percussus esset, ita flagrare cupiditate, atque amentia coepit. imperat magistratibus iste, ut eam demoliantur, & sibi dent: nihil sibi gratius ostendit futurum. illi uero dicere, id sibi nefas esse, sequi cum summa religione, tum summo metu legum, & iudiciorum teneri. iste tum petere ab illis, tum minari, tum spem, tum metum ostendere. opponebant illi interdum nomen Africani: donum populi R. illud esse dicebant: nihil se in ea potestatis habere quod imperator clarissimus, urbe hostium capta, monumentum uictoriae populi R. esse uoluisset, cum iste nihilo remissus, atque etiam multo uehemētius instaret quotidie; res agitur in senatu: uehementer ab omnibus reclamatur: itaque illo tempore, ac primo istius aduentu pernegatur. postea quidquid erat oneris in nautis remigibusque exigendis, in frumento imperando, Segestanis præter ceteros imponebat aliquanto amplius, quam ferre posset. præterea magistratus eorum euocabat: optimum, & nobilissimum quemque ad se accersabat: circum omnia prouinciæ fora rapiebat: sigillatim unicuique calamitati fore se denunciabat: uniuersam se funditus illam euersurum esse ciuitatem minabatur. itaque aliquando, multis malis, magnoque metu uicti Segestani, prætoris imperio parendum esse decreuerunt. magno cum luctu, & gemitu totius ciuitatis, multis cum lacrymis, et lamentatione uirorum, mulierumque omnium, simulacrum Dianæ tollendum locatur. uidete, quanta religione fuerit. apud Segestanos repertum esse indices, scitote neminem, neque liberum, neque seruum, neque ciuem, neque peregrinum, qui illud signum auderet, attingere: barbaros quosdam Libyaco scitote aduocatos esse operarios. hi denique il-

lud, ignavi totius negotij, ac religionis, mercede accepta sustulerunt. quod cum ex opido exportaretur, quæ conuentum mulierum factum esse arbitramini? quem stertum maiorum natu? quorum non nulli etiam illum diem memoria tenebant, cum illa eadem Diana, Segestam Carthagine reuicta, uictoriam populi R. reditu suo nunciasset. quam dissimilis hic dies illi tempore uidebatur? tum imperator populi R. uir clarissimus, deos patrios reportabat Segestanis, ex urbe hostium recuperatores: nunc ex urbe sociorum prætor eiusdem populi turpissimus, atque impurissimus eosdem illos deos nefario scelere auferebat. quid hoc tota Sicilia est clarius, quam omnes Segestanas matronas, & uirgines conuenisse, cum Diana exportaretur ex opido? unguentis? complexis coronis, & floribus? thure odoribusque incensis usque ad agrifines prosecutas esse? Hanc tu tantam religionem si tum in imperio, propter cupiditatem, atque audaciam, non pertimescebas, ne nunc quidem in tanto tuo, liberorumque tuorum periculo perhorrescis? quem tibi aut hominem, inuitis dijs immortalibus, aut uero deum, tantis eorum religionibus uiolatis, auxilio futurum putas? tibi illa Diana in pace, atque in otio religionem nullam attulit, quæ cum duas urbes, in quibus locata fuerat, captas incensasque uidiisset, bis ex duorum bellorum flamma, ferroque seruata est, quæ, Carthaginiensium uictoria loco mutato, religionem tamen non amisit? P. Africani uirtute, religionem simul cum loco recuperauit? quo quidem scelere suscepto, cum inanis esset basis, & in ea P. Africani nomen incisum, res indigna, atque intoleranda uidebatur omnibus, non solum religiones esse uiolatas, uerum etiam P. Africani, uiri fortissimi, rerum gestarum gloriam, memoriam uirtutis, monumenta uictoriae C. Verrem sustulisse. quod cum isti renunciaretur de basi, ac literis, existimauit homines in obliuionem totius negotij esse uenturos, si etiam basim, tamquam indicem sui sceleris, sustulisset: itaque tollendam istius imperio locauerunt. quæ uobis locatio ex publicis Segestanorum litteris priore actione recitata est.

## EXPLANATIO

**L** OQVOR enim de tuo clarissimo, pulcherrimoque monumento. & de Capitolini Iouis templo. infra. Non iudicis solum & iudex erat Catulus in causa Verris. lib. III. CHELIDONIS & meretricis, quæ Verre heredem reliquerat. P. Scipio & Aemilianus, qui Carthaginem euertit. SVISNE seruire, & ut seruauerat Phalati tyranno. CIRCVM omnia prouinciæ fora rapiebat: & magno cum eorum incommodo secum ducebat per omnem prouinciã, ubicumque forum acturus esset. Lib. II. Cum prætorem circum omnia fora sectaretur.

## ORATIO

**T** E nunc, P. Scipio, te, inquam, lectissimum, & ornatisimumque adolescentem, appello: abs te officium tuum, debitum generi, & nomini, requiro, & flagito. cur pro isto, qui laudem, honoremque familie uestræ depeculatus est, pugnas? cur cum defensum esse uis? cur ego tuas partes suscipio? cur tuum onus sustineo? cur M. Tullius P. Africani monumenta requirit? P. Scipio eum, qui illa sustulit, defendit? cum mos a maioribus traditus sit, ut monumenta maiorum ita suorum quisque defendat, ut ea ne ornari, quidem

nomine alieno sinat: tu isti aderis, qui non obtulit aliqua ex parte monumenta P. Scipionis, sed funditus sustulit, at deleuit? quisnam igitur, per deos immortales tuebitur P. Scipionis memoriam mortui? quis monumenta, atque indicia uirtutis, si tu ea relinquis, ac deseris? neque solum spoliata illa pati, sed etiam eorum spoliatores, uexatoresque defendes? adsum Segestani, clientes tui, socij populi R. atque amici: certiore te faciunt, P. Africanum, Carthagine deleta, simulacrum Dianæ maioribus suis restituisse, idque apud Segestanos eius

cuius imperatoris nomine positum, ac dedicatum fuisse, hoc Verrem demolendum, & asportandum, nomenq. omnino P. Scipionis delendum, tollendumq. curasse. orant te, atque obsecrant, ut sibi religionem, generi tuo laudem, gloriamq. restituas; ut, quod ex urbe hostium per P. Africanum recuperavit, id per te ex praedonis domo conseruare possint. quid aut his respondere honeste potes, aut illi facere, nisi ut te, ac fidem tuam implorent? adsunt, & implorent. potes domesticae laudis amplitudinem, Scipio, tueri, potes: omnia in te sunt, quae aut fortuna hominibus, aut natura largitur. non praecipuo fructum officij tui: non alienam mihi laudem appeto: non est pudoris mei, P. Scipione, florentissimo adolescente, uiuo, & incolumi, me propugnatores monumentorum P. Scipionis, defensorumq. profiteri. quamobrem si suscipis domestica laudis patrocinium, me non solum silere de uestris monumentis oportebit, sed etiam lactari, P. Africani eiusmodi esse fortunas mortui, ut eius bonos ab ijs, qui ex eadem familia sint, defendatur, neque ullum aduentitium requiratur auxilium. sin istius amicitia te impedit; si hoc, quod abs te postulo minus ad officium tuum pertinere arbitraberis: succedam ego uicarius tuo muneri: suscipiam partes, quas alienas esse arbitrabar: ne ista praeclara nobilitas desinat queri populo R. hominibus nonis, atque industrijs libenter honores mandare, semperq. mandasse. non est querendum, in ea ciuitate, quae propter uirtutem omnibus nationibus imperat, uirtutem plurimum posse. sit apud alios imago P. Africani: ornentur alij mortui uirtute, ac nomine: talis ille uir fuit, ita de populo R. meritus est, ut non uni familiae, sed uniuersae ciuitati commendatus esse debeat: est aliqua mea pars uiriliter, quod eius ciuitatis sum, quam ille amplam, illustrem, claramq. reddidit; praecipue

quod in his artibus pro mea parte uersor, quarum ille princeps fuit, aequitate, industria, temperantia, defensione miserorum, odio improborum: quae cognatio studiorum, & artium propemodum non minus est coniuncta, quam ista, qua uos delectamini, generis, & nominis. Repeto abs te, Verres, monumentum P. Africani: causam Siculorum, quam suscepi, relinquo: iudicium de pecunijs repetundis ne sit hoc tempore: Segestanorum iniuriae negligantur: basis P. Africani restituitur: nomen inuictissimi imperatoris inciditur: signum pulcherrimum, Carthagine capta recuperatum, reponatur. haec abs te non Siculorum defensor, non tuus accusator, non Segestani postulant, sed is, qui laudem gloriamq. P. Africani tuendam, conseruandamq. suscepit. non uereor, ne hoc officium meum P. Seruilio iudici, non probem: qui, cum res maximas gesserit, monumentaq. suarum rerum maxime constituat, atque in his elaboret, profecto uolet haec non solum suis posteris, uerum etiam omnibus uiris fortibus, & bonis ciuibus defendenda, non spolianda improbis, tradere. non uereor, ne tibi, Q. Catule, displiceat, cuius amplissimum in orbe terrarum, clarissimumq. monumentum est, quamplurimos esse custodes monumentorum, et putare omnes bonos alienae gloriae defensionem ad officium suum pertinere. & quidem ceteris istius furis, atque flagitijs ita moueor, ut ea reprehendenda tantum putem: hic uero tanto dolore afficio, ut nihil mihi indignius ferendum uideatur. Verres Africani monumentis domum suam, plenam stupri, plenam flagitij, plenam dedecoris, ornabit? Verres temperatissimi, sanctissimiq. uiri monumentum, Dianae simulacrum uirginis, in ea domo collocabit, in qua semper meretricum, lenonumq. flagitia uersantur?

## EXPLANATIO

**T**ENUNCIO, P. Scipio, qui Verrem defendebat, focer postea Pompeij Magni. **OBTRUSIT** mendosum fortasse uerbum. nisi si quis putet, Obtrusit aliqua ex parte dictum esse pro Loco mouit. quod placere uix potest: sicuti nec, Obtruiit, admodum aridet. Quid, si nec mendosum sit, & hoc sensu accipiatur? Obtrusit aliqua ex parte: alieno nomini aliqua ex parte tradidit. ita respondebit ad id, quod proxime dictum est: Cum mos a maioribus traditus sit, ut monumenta maiorum ita suorum quisque defendat, ut ea ne ornari quidem nomine alieno sinat. Sic Terentius in Andr. Ea quoniam nemini obrudi potest, ad me itur. Et in Hec. Quam mihi obrudit pater. **PARTES**, tueandae Africani gloriae. **QUAS alienas esse arbitrabar**: tuas esse, & reliquae Scipionum familiae arbitrabar. **NE ISTA praeclara nobilitas desinat queri**, conferam industriam meam ad infectandam improbitatem, beneq. de rep. merendum: ut quotidie magis populus Romanus ad honores mihi mandandos excitetur. ita habebit cur queratur, quemadmodum solet, ista praeclara nobilitas, facile homines nouos, & industrios a populo Romano, quos honores perant, obtinere. Ista, contemnens dixit: Praeclaram ironia. **APUD alios** apud Scipiones: quos eius imitari uirtutem deceret, cuius imaginem domi habent. **ALII** eiusdem familiae, qui Africani mortui uirtute ac nomine ornantur. **AMPLISSIMUM in orbem terrarum**, templus Iouis Capitolinij. **DEDECORIS** unico uerbo colligit omnia uitia.

## ORATIO

**A**T hoc solum Africani monumentum uiolasti. quid? a Tindaritanis non eiusdem Scipionis beneficio positum simulacrum Mercurij, pulcherrime factum, sustulisti? at quemadmodum, dii immortales, quam audacter, quam libidinoso, quam impudenter. audistis mihi dicere legatos Tindaritanos, homines honestissimos,

ae principes ciuitatis; Mercurium, qui sacris anniuersarijs apud eos, ac summa religione coleretur, quem P. Africanus, Carthagine capta, Tindaritanis non solum suae uictoriae, sed etiam illorum fidei, societatisq. monumentum, atque indicium dedisset, huius uis, scelere, imperioq. esse sublatum: qui, ut primum in illud opidum uenit,

uenit,

uenit, statim, tamquam ita fieri non solum oporteret, sed etiam necesse, tamquam hoc senatus mandasset, populusque R. iussisset, ita, continuo signum ut demolirentur, & Meſſanam deportarent, imperauit. quod cum illis, qui aderant, indignum, qui audiebant, incredibili uideretur; non est ab isto primo illo aduentu perseueratum. discedens mandat Proagoro, Sopatro, cuius uerba audistis, ut demoliat. cum recusaret, uehementer minatur. ita tum ex illo opido proficiscitur. Proagorus refert rem ad senatum: uehementer undique reclamatur. ne multa: iterum iste aliquanto post ad illos uenit, quaerit continuo de signo. respondetur ei, senatum non permittere; poenam capitis constitutam, si iniussu senatus quisquam attigisset: simul religio commemoratur. tum iste, quam mihi religionem nari as? quam poenam? quem senatum? uiuum te non relinquam: moriere uirgis, nisi signum traditur. Sopater iterum flens ad senatum refert; istius cupiditatem, minasque demonstrat. senatus Sopatro responsum nullum dat, sed commotus, perturbatusque discedit. ille a praetore accersitus nuncio, rem demonstrat, negat ullo modo fieri posse. atque haec (nihil enim praetermittendum de istius impudentia uidetur) agebantur in comitatu, palam, de sella, ac de loco superiore. erat hiems summa, tempestas, ut ipsum Sopatrum dicere audistis, perfrigida, imber maximus, cum iste imperat. h. c. t. ubi, ut Sopatrum de porticu, in qua ipse sedebat, praecipitem in forum deiciant, nudumque constituent. uix erat hoc plane etiam imperatum, cum illum spoliatum, stipatumque h. c. t. uideres. omnes ideo putabant, ut miser, atque innocens uirgis caederetur, fessellit haec homines opinio. uirgis iste caederet sine causa: socium populi R. atque amicum? non usque eo improbus: non omnia sunt in eo uno uitia: numquam fuit crudelis. leniter hominem, clementerque accepit. equestres sunt medio in foro Marcellorum statuae, sicuti fere ceteris in opidis Siciliae. ex quibus iste C. Marcelli statuam delegit: cuius officia in illa ciuitate, totaque prouincia recentissima erant, & maxima. in ea Sopatrum, hominem tum domi nobilem, tum summo magistratu praeditum, diuicari, ac deligari iubet. quo cruciatus affectus, uenire in mentem necesse est omnibus, cum esset uinctus nudus in aere, in imbri, in frigore. neque tamen finis huic iniuriae, crudelitatiq. fiebat, donec populus, atque uniuersa multitudo, atrocitate rei, misericordiaeque commota, senatum clamore coegit, ut ei simulacrum illud Mercurij polliceretur. clamabant fore, ut ipsi sese diu immortales ulciscerentur: hominem interea perire innocentem non oportere. tum frequens senatus ad istum uenit, pollicetur signum. ita Sopater de statua C. Marcelli, cum iam pacem obriguisset, uix uiuus aufertur. Non possum dispoſite istum accusare, si cupiam. opus est non solum ingenio, uerum etiam artificio quodam singulari. Vnum hoc crimen uidetur esse, & a me pro uno ponitur, de Mercurio Tyndaritano. plura sunt: sed, ea quo pacto distinguere, ac separare possim, nescio. est pecuniarum captarum, quod signum a sociis pecuniae magnae sustulit: est peculatus, quod publice populi R. signum, de praeda hostium captum, positum imperatoris no-

stri nomine, non dubitauit auferre: est maiestatis, quod imperij nostri gloriae, rerumque gestarum monumenta euertere, atque asportare ausus est: est sceleris, quod religiones maximas uiolauit: est crudelitatis, quod in hominem innocentem, in socium nostrum, atque amicum, nouum, ac singularem supplicij genus excogitauit. illud uero quid sit, iam non queo dicere: quo nomine appellem, nescio: quod in C. Marcelli statua. quid est hoc? patronus ne quod erat, quid tum? quo id spectat? utrum ea res ad opem, an ad calamitatem clientium, atque hospitium ualere debebat? an ut hoc ostenderes, contra uim tuam in patronis praesidium nihil esse? quis hoc non intellexerit, in improbi praesentis imperio maiorem esse uim, quam in bonorum absentium patrocinio? an uero ex hoc illa tua singularis significatur insolentia, superbia, contumacia? detrabere uidelicet aliquid de magnitudine Marcellorum putasti: itaque nunc Sicularum Marcelli non sunt patroni; Verres in eorum locum substitutus est: quam in te tantam uirtutem esse, aut dignitatem arbitratus es, ut conare clientelam tam illustrem, tam splendidam prouinciae tradere ad te, auferre a certissimis, antiquissimisque patronis? tu ista stultitia, nequitia, inertia, non modo totius Siciliae, sed unius tenuissimi Siculi clientelam tueri potes? tibi Marcelli statua pro patibulo in clientes Marcellorum fuit? tu ex illius honore in eos ipsos, qui honorem illi habuerant, supplicia quaerebas? quid postea? quid tandem tuis statuis fore arbitrare? an uero id, quod accidit? nam Tyndaritanam statuam istius, quam sibi propter Marcellos, altiore etiam basi, pone iusserat, deturbarunt, simul ac successum isti audierunt. dedit igitur tibi fortuna Sicularum C. Marcellum iudicem, ut, cuius ad statuam Siculi te praetore, alligabantur, eius religioni te eundem uinctum, adstrictumque dedamus. Ac primo, iudices, hoc signum Mercurij dicebat iste Tyndaritanos C. Marcellum uendidisse: atque hoc sua causa etiam Marcellum ipsum sperabat esse dicturum. quod mihi nunquam uerisimile uisum est, adolescentem illo loco natum, patronum Siciliae, nomen suum isti ad translationem criminis commodaturum. uerum tamen ita res mihi tota praenisa, atque praecautae est, uti, si maxime esset inuentus, qui in se suscipere istius culpa, crimineque cuperet, tamen is proficere nihil posset. eos enim testes deduxi, & eas litteras deportaui, ut de istius factis dubium nemini esse posset. publicae litterae sunt, deportatum esse Mercurium Meſſanam sumptu publico: dicunt, quanti: praefuisse huic negotio publice legatum Poleam. quid is? ubi est? praesto est: nec istis est: Proagoro Sopatri iussu. quis est hic? qui ad statuam adstrictus est. quid is? ubi est? testis est. uidistis hominem? & uerba eius audistis. demolendum curauit Demetrius Gymnastarchus, quod is ei loco praecerat. quid? hoc nos dicimus? immo uero ipse praesens, Romae nuper istum esse pollicentem, sese id signum legatis esse reddendum, si eius rei reſtitutio tolleretur, caurumque esset eos testimonium non esse dicturos: dixit hoc apud uos Sosippus, & Hismenias, homines nobilissimi, & principes Tyndaritanae ciuitatis.

## EXPLANATIO

**A**T HOC solum, modus coniungendae, & continuandae ex diuersis rebus orationis. ut lib. I. **A**credo in hisce solis rebus indomitas cupiditates, atque effrenatas habebat: ceterae libidines eius ratione aliqua, aut modo continebantur. quam multis istum ingenuis, quam multis matribus familias in illa tacteria atque impura legatione uim attulisse existimatis? **PROAGORO** ? summo Tyndaritanorum magistratu. infra. **Q**UAM mihi religionem narras? quam poenam? quem senatum? ? modus respondendi per contemptum ea, quae contra dicantur: ut Phil. I. Quas tu mihi, inquit, intercessionem? quas religionem? **P**RAECIPITEM in forum deiciant, & pro, raptim in forum trahant, **C. MARCELLI** ? qui Siciliae paullo ante praefuerat, ut lib. III. & nunc in causa Verri iudex erat, ut infra. **D**IVARICARI ? aperitis cruribus distendi. **I**N AERE ? suspensus, in equo aeneo uinctus. **D**E **MERCURIO** Tyndaritano ? aut hoc, ut glossema, inducendum: aut locus ita distinguentus. **V**num hoc crimen uideretur esse, & a me pro uno ponitur, de Mercurio Tyndaritano: plura sunt. **P**ECVNIAE magna? eodem modo; Multorum nummorum bibliothecam, dixit in ep. ad Sulpicium lib. XIII. **H**ic **Aesernini** ? **M. Marcelli** filio; eius, de quo lib. I. mentio fit his uerbis: Hi rem ad uirum primarium, summo officio ac uirtute praeditum, **M. Marcellum**, quod erat pupilli tutor, deferunt. **N**ominatur idem, ut huius **Aesernini** pater, in **Bruto**. **P**ROAGORI **Sopatri** iussu. & deportatum esse **Messanam**, dicunt publicae litterae.

## O I T A R O

## O R A T I O

**Q**UID Agraganto? non ne eiusdem **P. Scipionis** monumentum, signum **Apollinis** pulcherrimum, cuius in femine litterulis minutis argenteis nomen **Myronis** erat inscriptum, ex **Aesculapij** religiosissimo fanosus fustulisti? quod iste, iudices: cum clam fecisset, cum ad suum scelus, illud, furtumque nefarios quosdam homines improbos duces, atque adiutores adhibuisset; uehementer commota ciuitas est. uno eodem tempore **Agragantini** beneficium **Africani**, religionem domesticae, ornamentum urbis, iudicium uictoriae, testimonium societatis requirerant. itaque ab illis, qui principes in ea ciuitate erant, praecipitur, & negotium datur quaeestoribus, & aedilibus, ut noctu uigilias agerent ad aedes **saeras**. etenim iste **Agraganti** credo propter multitudinem illorum hominum, atque uirtutem, & quod ciues **R. uiri fortes**, ac strenui, & honesti permulti in illo opido, coniuuissimo animo cum ipsis **Agragantinis** uiuunt, ac negotiantur non audebat palam tollere, aut poscere, quae placebant. **Herculis** templum est apud **Agragantinos**, non longe a foro sane sanctum apud illos, & religiosum. ibi est ex aere simulacrum ipsius **Herculis**: quo non facile quidquam dixerim me uidisse pulchrius, (tamen si non tam multum in istis rebus intelligo, quam multa uidi) usque eo, iudices, ut rictus eius, ac mentum paullo sit attritus, quod in precibus & gratulationibus non solum id uenerari, uerum etiam osculari solent. ad hoc templum, cum esset iste **Agraganti**, duce **Timarchide**, repente, nocte tempesta, seruorum armatorum fit concursus, atque imperus. clamor a uigilibus, fanique custodibus tollitur. qui primo cum obistere, ac defendere conarentur, male multati elanuis, ac fustibus repelluntur. postea, conuulsis repagulis, effractisq. ualuibus demoliri signum, ac uectibus labefactis conantur. interea ex clamore fama tota urbe percubuit expugnari deos patrios; non hostium aduentu, neque repentino praedonum imperu, sed ex domo, atque cohorte praetoria manu fugitiuorum instructam, armataq. uenisse. nemo **Agraganti** neque aetate tam affecta, neque uiribus tam infirmis fuit, qui

non illa nocte, eo nuncio excitatus surrexerit, relique, quod cuique fors offererat, arripuerit. itaque breui tempore ad fanum ex urbe tota concurrunt. hora amplius iam in demoliendo signo permulti homines moliebantur: illud interea nulli lababat ex parte; cum alij, uectibus subiectis, conarentur commouere, alij deligatum omnibus membris rapere ad se funibus. repente **Agragantini** concurrunt: fit magna lapidatio: dant se in fugam istius praeclari imperatoris nocturni milites. duo tamen sigilla per paruula tollunt, ne omnino inanes ad istum praedonem religionum reuerterentur. numquam tam male est **Siculis**, quin aliquid facete, & commode dicant, uelut in hac re. aiebant in labores **Herculis** non minus hunc immanissimum **Verrem**, quam illum aprum **Erymanthium** referri oportere. Hanc uirtutem **Agragantinorum** imitati sunt **Assorini** postea, uiri fortes, & fideles, sed nequaquam ex tam ampla, neque tam ex nobili ciuitate. **Chrysa** est amnis, qui per **Assorinorum** agros fluit. is apud illos habetur deus, & religione maxima colitur. fanum eius est in agro, propter ipsam uiam, qua **Assoro** iter **Ennam**. in eo **Chrysa** est simulacrum praeclare factum e marmore. id iste posere **Assorinos** propter singularem eius fanum religionem non ausus est. **Tlepolemo** dat, **Hieroniq.** negotium. illi noctu facta manu, armatiq. ueniunt: fores aedis effringunt: aeditui, custodesq. mature sentiunt: signum, quod erat notum uicinitati, bucina datur: homines ex agris concurrunt: eicitur, fugaturq. **Tlepolemus**: neque quidquam ex fano **Chrysa**, praeter unum per paruulum signum ex aere, desideratum est. **Matris** magnae fanum apud **Enguinos** est. iam enim mihi non modo breuiter de uno quoque dicendum est, sed etiam praeterea uidentur esse permulta, ut ad maiora istius, & illustriora in hoc genere furta, & scelera ueniamus. in hoc fano **loricas**, **galeasq. aeneas caelatas** opere **Corinthio**, **hydriasq. grandes**, simili in genere, atque eadem arte perfectas, idem ille **P. Scipio**, uir omnibus rebus praecellentissimus, posuerat, & suum nomen inscripserat. quid iam de isto plura dicam, aut querar?

rar? omnia illa, iudices, abstulit: nihil in religiosissimo fano, praeter uestigia uiolatae religionis, nomenq. P. Scipionis, reliquit: hostium spolia, monumenta imperatorum, decora, atque ornamenta sanorum, posthac, his praeclaris nominibus amissis, in instrumento, ac supellestili. C. Verri numerabuntur. Tu uidelicet solus uasis Corinthijs delectaris? tu illius aeris temperationem, tu operum liniamenta solertissime perspicis? haec Scipio ille non intelligebat, homo doctissimus, at

que humanissimus? tu, sine ulla bona arte, sine humanitate, sine ingenio, sine litteris, intelligis, & iudicatis? uide, ne ille non solum temperantia, sed etiam intelligentia, atque istos, qui se elegantes dici uolunt, uicerit. nam quia, quam pulchra essent, intelligebat, iccirco ex istimabat ea non ad hominum luxuriam, sed ad ornamentum sanorum, atque opidorum esse facta, ut posteris nostris monumenta religiosa esse uideantur.

## EXPLANATIO

SOCIETATIS; cum populo Romano: cuius imperatoris uirtute signum illud recuperauerant, SHVNC immanissimum Verrem, & illi Apro Erymanthio simillimum. Ludit in Verre, & Apro. OPERA Corinthio, & aere Corinthio. SIMILI in genere, & ipsa quoque caelatas opere Corinthio. VESTIGIA & loca ipsa, in quibus loricae illae, galeae, hydriae, statuae fuerant. HIS praeclaris nominibus; imperatorum, qui de hostibus capta, Siculis dederunt.

## ORATIO

AVDITE etiam singularem eius, iudices, cupiditatem, audaciam, amentiam, in ijs praesertim sacris polluentis, quae non modo manibus attingi, sed ne cogitatione quidem uiolari fas fuit. Sacrarium Cereris est apud Catinenses, eadem religione, qua Romae, qua in ceteris locis, qua prope in toto orbe terrarum. in eo sacrario intimo fuit signum Cereris perantiquum: quod uiri, non modo cuiusmodi esset, sed ne esse quidem sciebant. aditus enim in id sacrarium non est uiris: sacra per mulieres, ac uirgines confici solent. hoc signum noctu clam istius serui ex illo religiosissimo, atque antiquissimo fano sustulerunt. postridie sacerdotes Cereris, atque illius fani antistitiae, maiores natu, probatae, ac nobiles mulieres, rem ad magi stratus suos deferunt. omnibus acerbum, indignum, luctuosum denique uidebatur. tum iste, permotus illa atrocitate negotij, ut ab se sceleris istius suspicio remoueretur, dat hospiti suo cuidam negotium, ut aliquem reperiret, quem ea fecisse in simulareret; daretq. operam, ut is crimine damnaretur, ne ipse esset in crimine. res non procrastinatur. nam cum iste Catinam profectus esset, serui cuiusdam nomen defertur: is accusatur: ficti testes in eum dantur: rem cunctus senatus Catimensium legibus iudicat. sacerdotes uocantur: ex his quaeritur secreto in curia, quid esset factum, quemadmodum arbitrantur signum esse ablatum. respondent illae, praetoris in illo loco seruos esse uisos. res, quae esset antea non obscura, sacerdotum testimonio perspicua esse coepit. itur in consilium: seruus ille innocens omnibus sententijs absoluitur, quo facilius uos hunc omnibus sententijs condemnare possitis. quid enim postulatis, Verres? quid speratis? quid spectatis? quem tibi aut deorum, aut hominum auxilio putas futurum? eo ne tu seruos ad spoliandum fanum immittere ausus es, quo liberos adire ne orandi quidem causa fas erat? his ne rebus manus asserre non dubitasti, a quibus etiam oculos cohibere te religionum iura cogebant? tamen sine oculis quidem captus in hanc fraudem tam sceleratam, ac tam nefariam decidisti: nam id concupisti, quod numquam uideras: id, inquam, adamasti, quod antea non adspexeras. auribus tu tantam cupiditatem concepisti,

ut eam non metus, non religio, non deorum uis, non hominum existimatio contineret. at ex uiro bono, credo, audieras, & bono auctore. qui id potest? qui ne ex uiro quidem audire poteris. audisti igitur ex muliere; quoniam id uiri neque uidisse, neque nosse poterant. qualem porro illam feminam fuisse putatis, iudices, quam pudicam, quae cum Verre loqueretur? quam religiosam, quae sacrarium spoliandi ostenderet rationem? at mihi me mirum, quae sacra stant, eadem per istius stuprum, ac flagitium esse uiolata. quid ergo? hoc solum auditio ne expetere coepit, cum id ipse non uidisset? immo uero alia complura: ex quibus eligam spoliationem nobilissimam, atque antiquissimam fani: de qua priore actione testes dicere audistis. nunc eadem illa, quae ego, audite, & diligenter sicut adhuc fecistis, attendite. insula est Melita, iudices, satis lato ab Sicilia mari, periculo quoque distincta: in qua est eodem nomine opidum, quo iste nuncquam accessit: quod tamen isti te xtrinum per triennium ad muliebrem uestum conficiendam fuit. ab eo opido non longe in promontorio fanum est Iunonis antiquum: quod tanta religione semper fuit, ut non modo illis Punicis bellis, quae in his fere locis nauali copia gesta, atque uersata sunt, sed etiam in hac praedonum multitudine semper inuiolatum, sanctumque fuerit. quin etiam hoc memoriae proditum est, classe quondam Massanisae regis ad eum locum appulsa, praefectum regium dentes eburneos incredibili magnitudine e fano sustulisse, & eos in Africam portasse, Massanisaeque donasse: regem quidem primo delectatum esse munere: post, ubi audisset unde esset, statim certos homines in quinqueremi misisse, qui eos dentes reportarent. itaque in his inscriptum litteris Punicis fuit, regem Massanisae imprudentem accepisse; re cognita reponendos, restitutosque cum asse. Erat praeterea magna uis eboris, multa ornamenta, in quibus eburneae uictoriae, antiquo opere, ac summa arte perfectae. haec iste omnia, ne multum morer, uno impetu, atque uno nuncio, per seruos Punicos, quos eius rei causa miserat, tollenda, atque asportanda curauit. Pro dij immortales, quem ego hominem accenso? quem legibus, ac iudiciali iure persequor? de quo

quod nos sententiam per tabellam feretis? dicunt legati Melitenfes publice, spoliatum templum esse tunonis, nihil istum in religiosissimo fano reliquisse, quem in locum classes hostium saepe accefferant, ubi piratae fere quotannis hiemare solebant, quod neque praedo violavit antea, neque hostis attigerit, id ab uno isto sic spoliatum esse, ut nihil omnino sit relictum. Hic nunc aut iste deus, aut ego accusator, aut hoc iudicium appellabitur? criminibus enim coarguitur, aut suspicionibus in iudicium uocatur? dii ablati, fana uexata, nudatae urbes reperiuntur. earum autem rerum nullam sibi istae neque infitrandi rationem, neque defendendi facultatem reliquit: omnibus in rebus coarguitur a me, conuincitur

a testibus, urgetur confessione sua, manifestis in maleficijs tenetur, & manet etiam, ac tacitus facta mecum sua recognoscit. Nimum mihi diu uideor in uno genere uersari criminum: sentio, iudices, occurrendum esse satietati aurium, animorumque uestrorum: quamobrem multa praetermittam. ad ea autem, quae dicturus sum, reficite uos, quae so, iudices, per deos immortales, per eos ipsos, de quorum religione iam diu dicimus, dum id eius facinus commemoro, & profero, quo prouincia tota commota est. de quo si paullo altius ordiri, ac repetere memoriam religionis uidebor, ignoscite. rei magnitudo me breuiter perstringere atrocitatem criminis non sinit.

## EXPLANATIO

IN HANC fraudem & culpam, crimen, flagitium. PER ISTIUS stuprum, & stuprata aliqua muliere. Lex ijs, quae signum illud uiderant, sacrisq. faciendis interfuerant. Auger culpam Verrijs, addito ad sacrilegium incestu. AUT HOC iudicium appellabitur & dissimile quiddam est id, quod agitur. nam in iudicio reus accusatur, & defenditur: ab isto autem dii ablati, fana uexata, nudatae urbes reperiuntur: nec ei uel infitrandi ratio, uel defendendi facultas ulla relinquatur. ET MANET etiam & adhuc sedet neque ab his sua sponte in exilium, sed ex oratione mea tacitus facta sua recognoscit. M. E. C. V. M. & ille tacitus, ego narrans recognosco.

## ORATIO

VERUS est haec opinio, iudices, quae constat ex antiquissimis Graecorum litteris, atque monumentis, insulam Siciliam totum esse Cereri, & Liberae consecratam. hoc cum ceterae gentes sic arbitrantur, tum ipsi Siculi tampe suam esse, ut animis eorum in istum, atque innatum esse uideatur. nam & natus esse has in his locis deas, & fruges in ea terra primum reperit arbitrantur, & repta esse Liberam, quam eandem Proserpinam uocant, ex Ennessum nemore; qui locus, quod in media est insula situs, umbilicus Siciliae nominatur. quam cum inuestigare, & conquirere Ceres uellet, dicitur in insulae aedas istis ignibus, qui ex Aetnae uertice erumpunt: quas sibi cum ipsa praefertet, orbem omnium peragrasse terrarum. Enna autem, ubi ea, qua dico, gesta esse memorantur, est loco praecellso, atque edito, quo in summo est aequata agri planities, & aquae perennes: tota uero omni aditu circumcisa, atque dirempta est: quam circa lacus, luciq. sunt plurimi, & leuissimi flores omni tempore anni: locus ut ipse raptum illi uirginis, quem iam a pueris accepimus, declarare uideatur. etenim propter est spelunca, qua aedam, conuersa ad aquilonem, infimam altitudine, qua Ditem patrem ferunt repente cum curru extitisse, abreptamq. ex eo loco uirginem secum asportasse, & subito non longe a Siraculis penetrasse sub terras, lacumq. in eo loco repente extitisse: ubi usque ad hoc tempus Siracusan festos dies anniuersarios agunt, celeberrimo uirorum, mulierumque conuentu propter huius opinionis uetustatem, quod eorum his locis uestigia, ac prope incunabula reperiuntur deorum, mira quaedam tota Sicilia priuata, ac publice religio est Cereris Ennessis. etenim multa saepe prodigia uim eius, numeq. declarant, multis saepe in difficillimis rebus praesens auxilium eius oblatum est: ut haec insula ab ea non solum diliget, sed et iam incoli, custodiri uideatur.

nec solum Siculi, uerum etiam ceterae gentes, nationesq. Ennessum Cererem maxime colunt. etenim, si Atheniensium sacra summa cupiditate expectunt, ad quos Ceres in illo errore uenisse dicitur, frugesq. attulisse: quantam esse religionem conuenit eorum, apud quos eam natam esse, & fruges inuenisse constat: itaq. apud patres nostros, atroci, ac difficili reip. tempore, cum, Ti. Graccho occiso, magnorum periculorum metu expositus portenderetur, P. Mucio, L. Calpurnio cos. aditum est ad libros sibyllinos: in quibus inuentum est, Cererem antiquissimam placari oportere. tum ex amplissimo collegio decemuirali sacerdotes populi R. cum esset in urbe nostra Cereris pulcherrimum, & magnificentissimum templum, tamen usque Enna profecti sunt. tanta enim erat auctoritas, & uetustas illius religionis, ut, cum illuc irent, non ad eadem Cereris, sed ad ipsam Cererem proficisci uiderentur. Non obtundam diutius aures uestras: iam dudum uereor, ne oratio mea aliena ab iudiciorum ratione, & quotidiana dicendi consuetudine esse uideatur. hoc dico, hanc ipsam Cererem antiquissimam, religiosissimam, principem omnium sacrorum, quae apud omnes gentes, nationesque sunt, a C. Verre ex suis templis, ac sedibus esse sublata. Qui accessistis Ennam, uidistis simulacrum Cereris e marmore, & in altero templo Liberae. sunt ea per ampla, atque praeclara, sed non ita antiqua. ex aere fuit quoddam modica amplitudine, ac singulari opere, cum facibus, per antiquum, omnium illorum, quae sunt in eo fano, multo antiquissimum. id sustulit: ac tamen eo contentus non fuit. Ante aedem Cereris, in aperto, ac propatulo loco, signa duo sunt, Cereris unum, alterum Triptolemi, & pulcherrima, & per ampla. his pulchritudo periculo, amplitudo saluti fuit, quod eorum demolitio, atq. asportatio perdifficilis uidebatur. insiſtebat in manu Cereris dextra simulacrum,

mulacrum, pulcherrime factum, Victoriae. hoc iste e  
 signo Cereris auclendum, asportandumq. curauit. Qui  
 tandem istius animus est nunc in recognitione scelerum  
 fuorum, cum ego ipse in commemoratione eorum non  
 solum animo commouear, uerum etiam corpore per  
 horrescam? uenit enim mihi fani, loci, religionis illius  
 in mentem: uersantur ante oculos omnia; dies ille, quo  
 ego Ennam cum uenissem, praesto mihi sacerdotes Ce  
 reris cum insulis, ac uerbis fuerunt; concio, conuen  
 tusq. ciuium, in quo ego cum loquerer, tant i fletus, ge  
 mitusq. siebant, ut acerbissimus tota urbe luctus uerfari  
 uideretur. non illi decumarum imperia, non honorum  
 direptiones, non iniqua iudicia, non importunissimas  
 istius libidines, non uim, non contumelias, quibus o  
 perti, oppressiq. erant, conquerebantur: Cereus num  
 men, sacrorum uerustatem, fani religionem, istius sce  
 leratissimi, atq. audacissimi supplicio expiari uol. bāt:  
 omnia se cetera pati, ac negligere dicebant: hic dolor  
 erat tantus, ut Verres alter Orcus uenisse Ennam, &  
 non Proserpinam asportasse, sed ipsam abripuisse Cere  
 rem uideretur. etenim urbs illa, non urbs uidetur, sed  
 fanum Cereris esse: habitare apud sese Cere rem Ennen  
 ses arbitrantur: ut mihi non ciues illius ciuitatis, sed  
 omnes sacerdotes, omnes accolae, atque antistites Ce  
 reris esse uideantur. Ennae tu simulacrum, Cereus tol  
 lere aud. bas? Ennae tu de manu Cereris Victo  
 riam diripere, & deam deae detrahere conatus es? quo  
 rum nihil uiolare, nihil attingere ausi sunt, in quibus  
 erant omnia, quae sceleri propiora sūt, quam religioni.  
 tenuerunt enim P. Popillio P. Rupilio eos. illum locum  
 serui fugitiui, barbari, hostes. sed neque tam serui illi  
 dominorum, quam tu libidinum: neque tam fugitiui il  
 li a dominis, quam tu a iure & a legibus: neque tam  
 barbari lingua, & natione illi, quam tu natura, & mo  
 ribus. neque illi tam hostes hominibus, quam tu dijs im  
 mortalibus. quae deprecatio est igitur ei reliqua, qui  
 indignitate seruos, temeritate fugitiuos, scelere barba

ros, crudelitate hostes uicerit? audistis Theodorum, &  
 Numinium, & Nicasionem, legatos Ennenses, publi  
 ce dicere, sese a suis ciuibus haec habere mandata, ut  
 ad Verrem adirent, & eum simulacrum Cereris, & Vi  
 ctoriae reposcerent: id si impetrassent, tum ut morum  
 ueterem Ennensium conseruarent, publice in eum ta  
 met si uexisset Siciliam, tamen, quoniam haec a maio  
 ribus constituta accepissent, testimonium ne quod dice  
 rent: sin autem ea non reddidisset, tum ut iudicio ad  
 sent, tum uti de eius iniurijs iudices docerent, sed mul  
 to maxime de religione querebantur. Quas illorum  
 querimonias nolite, per deos immortales, aspernari, no  
 lite contemnere, ac negligere, iudices. aguntur iniu  
 riae sociorum: agitur uis legum: agitur existimatio, ue  
 ritasq. iudiciorum. quae sunt omnia per magna, uerum  
 illud maximum: tanta religione obstricta tota prouin  
 cia est, tanta superstitio ex istius facto metes omnium  
 Siculorum occupauit, ut, quaecūque accidant publice,  
 uel priuatim incommoda, propter eam causam, scelere  
 istius, euenire uideantur. Audistis Centuripinos, &  
 Gyreneuses, Catinenses, Herbitenses, Ennenses, complu  
 res alios publice dicere, quae solitudo esset in agris,  
 quae uasitas, quae fuga aratorum, quam deserta, quam  
 inculta, quam relicta omnia. ea tamen si istius multis  
 & uarijs iniurijs acciderunt; tamen haec una causa in  
 opinione Siculorum plurimum ualet, quod, Cere uio  
 lata, omnes cultus, fructusq. Cereris in his locis in  
 terijse arbitrantur. Medemini religioni sociorum, iu  
 dices: conseruate uestram auctoritatem: neque enim  
 haec externa nobis est religio, neque aliena. quod se  
 esset; si suscipere eam nolletis; tamen in eo, qui uiolaf  
 set, sancire uos uelle oporteret. nunc uero in communi  
 omnium gentium religione, inq. bis sacris, quae maio  
 res nostri ab exteris nationibus adscita, atque accersita  
 coluerunt; quae sacra, ut erant re uera, sic appella  
 ri Graeca uoluerunt; negligentes, ac dissoluti si cupia  
 mus esse, qui possumus?

## EXPLANATIO

**D**IREMPTA & disuncta, nullus ut ad eam aditus, accessusque sit. **LECTISSIMI** flores omni tem  
 pore anni: & quod elegantissimus poeta, nulli ueterum aut ingenio, aut doctrina concedens, lib.  
 V. Met. cum hunc ipsum locum describeret, Ouidius mira breuitate dixit, Perpetuum uer est. Et quod  
 hic Cicero, Quam circa lacus, luci q. sunt plurimi: ille eodem breuitate,

Silua coronat aquas: tum addidit ingenio scilicet indulgens,  
 Cingens latus omne, suisq.

Frondebibus, ut uelo, Phoebaeos summouet ignes.

**T. I. GRACCHO** & tribuno pl. temp. nouis legibus perturbante. **Occiso** & nobilitatis duce P. Scipio  
 ne Nasica. **COLLEGIO decemuali** & quod sibyllinis libris praerat. **PERANTIQUVM**, & hoc super  
 uacaneum esse, uerba, quae sequuntur, ostendunt. **CVM insulis**, ac uerbis & quo habitu sacra faciunt.  
**ALTER Orcus** & alter Plato, qui Proserpinam asportasse ferebatur. **ACCOLAE**, & qui cum ipsa Cere  
 habitarent. **SERVI fugitiui**, & primo seruili bello ducibus Euno, & Cleone: quorum copias P. Ru  
 pillius consul deleuit, Siculisq. leges dedit. Cicero, Valerius, Pedianus. **VERITASO: iudiciorum**: & ut  
 populus Romanus intelligat, in iudicij locum esse ueritati. **Act. I.** Sin istius ingentes diuitiae iudicio  
 rum religionem, ueritatemq. perfrerint. **VESTRAM auctoritatem**: & iam enim hanc religionem, &  
 haec Cereris sacra adsciuistis, atque comprobastis. **NOBIS** & quod sequitur, ostendit, Vobis, esse re  
 etius, quam Nobis. **SANCIRE** & comprobare: ab eo, qui uiolasset, poenas persequi. **APPELLARI**  
 Graeca uoluerunt: & lib. II. de leg. Ne ue inuito, nisi ut assolet Cereri Graeco sacro. **DISSOLUTI** & in  
 ep. ad Metellum: Non humanitas, sed dissolutio quaedam animi.

## O R A T I O

VNIUS etiam urbis omnium pulcherrimae, atque ornatisimae, Syracusanorum direptione commemorabo, & in medium proferam, iudices; ut aliquando totam huius generis orationem concludam, ac desiniam. Nemo seve uestrum est, quin, quemadmodum captae sint a M. Marcello Syracusae, saepe audierit, nonnumquam etiam in annalibus legerit. conferre hanc pacem cum illo bello, huius praetoris aduentum cum illius imperatoris victoria, huius cohortem impura cum illius exercitu iniuncto, huius libidines cum illius continentia: ab illo, qui cepit, conditas, ab hoc, qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas. ac iam illa omnino, quae disperse a me multis locis dicentur, ac dicta sunt: forum Syracusanorum, quod introitu Marcelli primum a caede seruatum est, id acuentu Verri Siolorum innocentium sanguine redundasse: portum Syracusanorum, qui tum & nostris classibus, & Carthaginensium clausis fuisse, cum isto praetore Cilicum myoparoni, praedonibusque patuisse. mitto adhibitam tum ingenuis, matres familias uiolatas, quae tum, urbe capta, commissae non sunt neque odio hostili, neque licentia militari, neque more belli, neque iure victoriae: mitto, inquam, haec omnia, quae ab isto per triennium perfecta sunt: ea, quae coniuncta cum illis rebus sunt, de quibus antea dixi, cognoscite. Urbem Syracusas, maximam esse Graecarum urbium, pulcherrimamque omnium, saepe audistis. est, iudices, ita, ut dicitur. nam & situ est cum munito; tum ex omni aditu uel terra, uel mari praeclearo ad aspectum; & portus habet prober in aedificatione, ad spectumque urbis inclusos: qui cum diuersos inter se aditus habeant, in exitu coniunguntur, & confluunt. eorum coniunctione pars opidi, quae appellatur insula, mari disuncta angusto, ponte rursus adiungitur, & continetur: ea tanta est urbs, ex quatuor urbibus maximis constare dicatur. quarum una est ea, quam dixi, insula: quae duobus portibus cincta, in utriusque portus ostium, aditumque proiecta est: in qua domus est, quae regis Hieronis fuit, qua praetores nri solent. in ea sunt aedes sacrae complures, sed duae, quae longa ceteris anteeclunt: Dianae una, & altera, quae fuit ante istius aduentum ornatisima, Mineruae. in hac insula extrema est fons aquae dulcis, cui nomen Aretusa est, incredibili magnitudine, plenissimus piscium: qui fluctu totus operiretur, nisi munitione, ac mole lapidum a mari disunctus esset. altera autem est urbs Syracusis, cui nomen Acradina est: in qua forum maximum, pulcherrimae porticus, ornatisimum Pritaneum, amplissima est curia, templumque egregium Iouis Olympi: ceteraeque urbis partes una lata uia perpetua, multisque transuersis diuisae, priuatis aedificijs continentur. Tertia est urbs, quae, quod in ea parte Fortunae fanum antiquum fuit Tyche nominata est: in qua & gymnasium amplissimum est, & complures aedes sacrae: coliturque ea pars, & habitatur frequentissime. Quarta autem est urbs, quae, quia postrema aedificata est, Neapolis nominatur: quam ad summam theatrum est maximum: praeterea duo templa sunt egregia, Cereris unum, alterum Liberae; signumque Apollinis, qui Tesmorbetes

uocatur, pulcherrimum, & maximum: quod iste si portare potuisset, non dabit a se auferre. Nunc ac Marcellum reuertar, ne haec a me sine causa commemorata esse uideantur: qui cum tam preclaram urbem uicopisq. cepisset, non putauit ad laudem populi Romae pertinere, hanc pulchritudinem, ex qua praesertim nihil periculi ostenderetur, delere, & extinguere. itaque aedificijs omnibus, publicis & priuatis, sacris, & profanis sic pepercit, quasi ad ea defendenda cum exercitu, non expugnanda, uemisset. in ornatu urbis habuit uictoriae rationem, habuit humanitatis. uictoriae putabat esse multa Romam deportare, quae ornamento urbi esse possent; humanitatis, non plane spoliare urbem, praesertim quam seruare uoluisset. in hac partitione ornatus non plus uictoria Marcelli populo Romae appetiuit, quam humanitas Syracusanis seruauit. Romam quae asportata sunt, ad ad. in Honore atque Virtute, itemque alijs in locis uidemus. nihil aedibus, nihil in hortis posuit, nihil in suburbano. putauit, si urbis ornamenta domum suam non contulisset, domum suam urbi ornamento futuram. Syracusis autem permulta, atque egregia reliquit, deum uero nullum uiolauit, nullum attingit. Conferre Verrem: non ut hominem cum homine compareris, ne qua tali uiro mortuo fiat iniuria; sed ut pacem cum bello, leges cum ui, forum, & iurisdictione cum ferro, & armis, aduentum, & comitatum cum exercitu, & uictoria conferatis. Aedes Mineruae est in insula, de qua ante dixi: quam Marcellus non attingit, quam plenam, atque ornatum reliquit: quae ab isto sic spoliata, atque direpta est, non ut ab hoste aliquo, qui tamen in bello religionum, & consuetudinis iura retineret, sed ut a barbaris praedonibus uexata esse uideatur. Pugna erat equestris Agathoris regis, in tabulis picta praecleara, his autem tabulis interiores templi parietes uestiebatur: nihil erat ea pictura nobilius; nihil Syracusis, quod magis uisendum putaretur. has tabulas M. Marcellus, cum omnia illa uictoria sua profana fecisset, tamen religione impeditus non attingit. iste, cum illa iam propter diuturnam pacem, fidelitatemque populi Syracusani sacra, religioque accepisset, omnes eas tabulas abstulit; parietes, quorum ornatus tot saecula manserat, tot bella effugerat, nudos, ac deformatos reliquit. & Marcellus, qui, si Syracusas cepisset, duo templa se Romae dedicaturum uouerat, quod erat aedificaturus, ijs rebus ornare, quas ceperat, noluit: Verres, qui non Honori, neque Virtuti, ut ille, sed Veneri, & Cupidini uota deberet, is Mineruae templum spoliare conatus est. ille deos deorum spolijs ornare noluit: hic ornamenta Mineruae uirginis in meretriciam domum transtulit: uiginti & septem praeterea tabulas, pulcherrime pictas, ex aede sustulit: in quibus erant imagines Siciliae, regum, ac tyrannorum: quae non solum pictorum artificio delectabant, sed etiam commemoratione hominum, & cognitione formarum. Ac uidete, quanto taetrior hic tyrannus Syracusanis fuerit, quam quisquam superiorum; cum illi tamen ornarint templa deorum immortalium, hic etiam deorum monumenta, atque ornamenta sustulerit. Iam uero, quid ego de ual-



uis illius templi commemorem? uereor, ne, haec qui non uiderunt, omnia me nimis augere, atque ornare arbitrentur. quod tamen nemo suspicari debet, tam esse me cupidum, ut tot uiros primarios uelim, praesertim ex iudicum numero, qui Syracusis fuerint, qui haec uiderint, esse temeritati, & mendacio meo conscios. confirmare hoc liquido, iudices, possum, ualuas magnificentiore ex auro, atque ebore perfectiores nullas unquam ullo tempore fuisse. incredibile dictum est, quam multi Graeci de ualuarum harum pulchritudine scriptum reliquerint. nimirum forsitan haec illi mirentur, atque efferat. est uerum tam honestius est reip. nostrae, iudices, ea, quae illis pulchra esse uideantur, imperatorem nostrum in bello reliquisse, quam praetorem in pace abstulisse. ex ebore diligentissime perfecta argumenta erant in ualuis: ea detrahenda curauit omnia: Gorgonis os pulcherrimum, erinitum anguibus, reuellit, atque abstulit: & tamen indicauit, se non solum artificio, sed etiam pretio, quae stusq. duci: nam bullas omnes aureas ex his ualuis, quae erant & multae, & graues, non dubitauit auferre: quarum iste non opere delectabatur, sed pondere: itaque eiusmodi ualuas reliquit, ut, quae olim ad ornandum templum erant maxime, nunc tantum ad claudendum factae esse uideantur. Etiam ne fraxineas hastas? uidi enim non in hoc non minime, cum testes dicerent, commoueri: quod erant huiusmodi, ut semel uidisse satis esset: in quibus neque manu factum quidquam, neque pulchritudo erat ulla, sed tantum magnitudo incredibilis: de qua uel audire satis esset; nimirum, uidere plus quam semel. etiam ne id concupisti? nam Sappho, quae sublata de Prytaneo est, dat tibi iustam excusationem, prope ut concedendum, atque ignoscendum esse uideatur. an Syllanionis opus, tam perfectum, tam elegans, tam elaboratum, quisquam non modo priuatus, sed populus potius haberet, quam homo elegantissimus, atque eruditissimus Verres? nimirum contra dici nihil potest. nostrum enim uniusquisque, qui tam beati, quam iste est, non sumus, tam delicati esse non possumus. si quando quis aliquid istiusmodi uidere uolet, eat ad aedem Felicitatis, ad monumentum Catuli, in porticum Metelli: det operam, ut admittatur in alicuius istorum Tusculanum: spectet forum ornatum, si quid iste suorum aedilibus accommodauit: Verres haec habeat domi: Verres ornamentis sanorum, atque opidorum habeat plenam domum, ulla refertas. Etiam ne huius operarij studia, ac delicias, iudices, perferetis? qui ita natus est, ita educatus, ita factus & animo, & corpore, ut multo appositior ad deferenda, quam ad auferenda signa esse uideatur. Atque haec Sappho sublata quae tum desiderium sui reliquerit, dici uix potest. nam tum ipsa fuit egregie facta, tum epigramma Graecum per-nobile incisum habuit in basi: quod iste, eruditus homo, & Graeculus, qui haec subtiliter indicat, qui solus intelligit, si unam litteram Graecam scisset, certe non sustulisset. nunc enim, quod inscriptum est inani in basi, declarat quid fuerit, & id ablatum indicat. Quid? signum Paeanis ex aede Aesculapij, praeclare factum, sacrum, & religiosum, non sustulisti? quod omnes propter pulchritudinem uisere, propter religionem colere solebant. Quid? ex aede Liberi simulacrum Aristaei non tuo imperio palam ablatum est? Quid? ex aede Iouis religiosissimum simulacrum Iouis imperatoris, quem Graeci uictor nominant, pulcherrime factum, non ne ab

stulisti? Quid? ex aede Liberi paruum illud caput, pulcherrimum, quod uisere solebamus, num dubitasti tollere? Atque ille Paean sacrificij anniuersarij simul cum Aesculapio apud illos colebatur: Aristaeus, qui ut Graeci ferunt, Liberi filius, inuestor olei esse dicitur, una cum Libero patre, apud illos eodem erat in templo consecratus. Ionem autem imperatorem quanto honori in suo templo fuisse arbitramini? hinc colligere potestis, si recordari uolueritis, quanta religione fuerit eadem specie, atque forma signum illud, quod ex Macedonia captum, in Capitolio posuerat Flaminius. etenim tria ferebantur in orbe terrarum signa Iouis Imperatoris, uno in genere pulcherrime facta; unum, illud Macedonicum, quod in Capitolio uidemus; alterum in Pediti ore, & angustius; tertium, quod Syracusis ante Verrem praetorem fuit. illud Flaminius ita ex aede sua sustulit, ut in Capitolio, hoc est in terrestri domicilio Iouis, poneret. quod autem est ad introitum Ponti, id, cum multa ex illo mari bella emerferint, tam multa poro in Pontum inuecta sunt, usque ad hanc diem integrum, in uiolatumq. seruatum est. hoc tertium, quod erat Syracusis, quod M. Marcellus armatus, & uictor uiderat, quod religioni concesserat, quod tunc atque incolae Syracusani colere aduenae non solum uisere, uerum etiam uenerari solebant, id Verres ex templo Iouis sustulit: ut saepius ad M. Marcellum reuertar, iudices, sic habetote, plures esse ad Syracusanis istius aduentu deos, quam uictoria Marcelli homines desideratos. etenim ille requisisse dicitur etiam Archimedeum illum, summo ingenio hominem, ac disciplina, eumque cum audisset interfectum, permolestu tulisse. iste omnia, quae requiritur, non ut seruaret, uerum ut asportaret, requisit. Nam illa, quia leuiora uidebuntur, si hoc loco dicerentur, ideo praeteribo, quod iste mensas Delphicas et marmore, crateras ex aere pulcherrimas, uim maximam uasorum Corinthiorum ex omnibus aedibus sacris Syracusis abstulit. itaque, iudices, ij, qui hospites, ad ea, quae uisenda sunt, ducere solent, & unum quidque ostendere, quos illi *uvsazoyous* uocant, conuersam tam habent demonstrationem suam: nam, ut ante demonstrabant, quid ubique esset; ita nunc, quid undique ablatum sit ostendunt. Quid tum? mediocri ne tandem dolore eos affectos esse arbitramini? non ita est, iudices: primum, quod omnes religione mouentur, & deos patrios, quos a maioribus acceperunt, colendos sibi diligenter & retinendos esse arbitrantur: deinde hic ornatus, haec opera, atque artificia, signa, tabulae pictae Graecos homines nimio opere delectant. itaque ex illorum que rimonijs intelligere possumus, haec illis acerbissima uideri, quae forsitan nobis leuia, & contemenda esse uideantur. mihi credite, iudices: (tametsi uosmetipsos haec eadem audire certo scio) cum multas acceperint per hosce annos socij, atque exterae nationes calamitates, & iniurias, nullas Graeci homines grauius tulerunt, nec ferunt, quam huiusmodi spoliationes sanorum, atque opidorum. licet iste dicat, emisisse se, sicuti solet dicere: credite mihi, iudices, nulla unquam ciuitas tota Asia, & Graecia signum ullum, tabulam pictam, nullum denique ornamentum urbis sua uoluntate cuiquam uendidit. nisi forte existimatis, postea quam iudicia seuera Romae fieri desierint, Graecos homines haec uendere coepisse; quae tum non modo non uendebant, cum iudicia fiebant, uerum etiam coeuebant. nisi arbitra-

arbitramini L. Crasso, Q. Scaeuolae, C. Claudio, potentissimis hominibus, quorum aedilitates ornatissimas uideamus, commercium istarum rerum cum Graecis hominibus non fuisse; his, qui post iudiciorum dissolutiones aediles facti sunt, fuisse. acerbiores etiam scitote esse ciuitatibus falsam istam, et simulatam emptionem, quam si quis clam surripit, aut eripiat palam, atque auferat. nam eripit uindictam summam esse arbitrantur, refferri in litteras publicas, pretio adductam ciuitatem, et pretio paruos ea, quae acceperunt a maioribus, uen-

didisse, atque alienasse. etenim mirandum in modum Graeci rebus istis, quas nos contempnimus, delectantur. itaque maiores nostri facile patiebantur, haec esse quam plurima apud socios, ut imperio nostro quam ornatissimi, florentissimiq. essent: apud eos autem, quos ueti-gales, aut stipendiarios fecerant, tamen haec relinquere bant, ut illi, quibus ea iucunda sunt, quae nobis leui-uidebantur, haberent haec oblectamenta, et solatia seruitutis.

## EXPLANATIO

**O**MNIVM pulcherrimae, et Liuii lib. XXXV. CONFERTE hanc pacem cum illo bello, et mirabilis in hoc toto uerborum ambitu uis agnoscitur eloquentiae. nam & pluribus membris distinguitur sententia: & ipsa membra comparatione contrariorum numerum efficiunt: & ita paucis uerbis multa dicuntur, ut apertius tamen ac planius esse nihil possit. Ipsemet Cicero in libro, qui inscribitur Orator, cum loquitur de numero, Nos etiam, inquit, in hoc genere frequentes. ut illa sunt in quarto Accusationis: CONFERTE hanc pacem cum illo bello. **INGENUVS** et nam si peccaretur in libertinis, leuius ferendum, propterea ingenui quoque nominantur lib. I. Quam multis, inquit, istum ingenuis, quam multis matribus familias uim attulisse existimatis? Et Vatinius ad Ciceronem: Hominem unum omnium crudelissimum, qui tot ingenuos, matres familias, ciues Romanos occidit, arripuit, disperdidit. **PRYTANEVM**, et quale Athenis fuit, ubi sumptus publice dabatur bene de rep. meritis. **QVAM ad summam** et cuius in extrema parte. **QVI Thefuros uocatur**, et Temenites, malim legere, dissentientibus in re se antiquis libris. hoc enim cognomine Syraculis aduectum Apollinem Suetonius appellat in Tiberio. Et Syraculis fons fuit Temenites dictus, auctore Plinio: montis quoque uertex, teste Thucydide lib. VII. **EX QVA praesertim nihil periculi ostenderetur**, et nam Carthago periculi metu deleta est. **AD AEDEM Honoris, atque Virtutis**, et renouatam a Marcello, ut apud Ciceronem lib. II. de Nat. de. legitur: uotam, & aedificatam, si Liuium auctorem sequimur. **NE QVA tali uiro mortuo fiat iniuria**, et similitur in Pisonem: Facio iniuriam fortissimo uiro mortuo, qui illum, cuius paucos pares haec ciuitas tulit, cum importuna bellua conferam. **QVOD erat aedificaturus**, et Honoris, & Virtutis: ut ea, quae sequuntur, uerba declarant. renouatum tamen ab eo, non aedificatum, auctor est idem Cicero lib. II. de Nat. de. Etiam illud miror, Liuium scribere, Marcellum uouisse hoc templum Gallico bello ad Clastidium, Ciceronem autem, uouisse eum, si Syraculas cepisset. **ARGVMENTA** et fabulae: ut Virgilius lib. VII. Argumentum ingens. quo loco uide Seruium. **CRINITVM anguibus**, et in quo angues essent pro crinibus. **AD AEDEM Felicitatis**, et a L. Lucullo consule exstructam. Augustinus de ciuitate Dei. **AD monumentum Catuli**, et ad templum Iouis Capitolini, a Catulo restructum. **IN porticum Metelli**: et Macedonici: qui non modo porticus fecit, sed eum quoque locum statuis equestribus, quas Alexandri Magni iussu Lysippus fecerat, ex Macedonia deportatis, exornauit. Velleius lib. I. **STVDIA**, et cupiditates. **DELICIAS** et in operario non ferendas, ad signa deferenda potius apposito, quam auferenda. **ITA factus est animo, et corpore**, et eodem modo dixit lib. I. Off. Neque enim ita generati a natura sumus, ut ad ludum facti esse uideamur, sed ad seueritatem. Pro Milone: Ad quam legem non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. **SIMVLACRVM Iouis Imperatoris, quem Graeci Vrion nominant**. et uir ex quaestaeae reconditae doctrinae. Ioannes Brodaeus in suis Miscellaneis putat mendosum esse, Imperatoris: quod Iouem *εὐπριον* uel *δριον* Graeci finium praesidem appellant: idq. Demosthenis, Dionysij, Ariarati testimonio probat. Sane uerbum Graecum, Imperatorem, non significat: sed aliud fortasse Graecis, aliud Latinis nomen fuit: quod, qui terminis praeesset, imperare, & arcere finitimos ab iniuria uideretur. non enim praeesset, nisi imperandi ius haberet. **FLAMININVS** et T. Quinctius Flaminius, qui ex Macedonia, de Philippo rege triumphauit. **CIUES atque incolae** et qui ciues non sunt, incolae dicuntur, ut lib. III. Quid Halyciensis, quorum incolae decumas dant, ipsi agros immunes habent? **NIMIO opere delectantur**. et sic in Parad. Quos signa, quos tabulae, quos Corinthia opera, quos aedificia magnifica nimio opere delectant. **POSTER QVAM iudicia seuera Romae fieri desierint**, et postea quam iudicare senatores coeperint. supra: Quo damnato tum cum seuera iudicia fiebant. **HAEC uendere coepisse**: et quod minime fecerunt. **NI SI arbitramini**, et quod arbitrari non debetis. Animaduertendum, hoc loquendi genere negari semper id, quod sequitur. **L. CRASSO, Q. Scaeuolae, C. Claudio**, et quorum aediliticia munera nominantur lib. II. Off. **COMMERCIVM istarum rerum cum Graecis hominibus non fuisse**, et fuit: eaq. res ad ornandum forum, & sumebant a Graecis, & reddebant: nihil tamen unquam emerunt. nec Verrem igitur emisse, debetis existimare. **ET PRETIO paruo** et quanti Verres ab Heio Mamertino quattuor pulcherrima signa, Cupidinem, Herculem, Canephoras, a se empta, ipsius Heij tabulis probare conabatur. **QVAS nos contempnimus**, et contra Verrem, qui tamquam Graecus adamabat illa, quae Romani contempnabant, quamquam antiquos mores exserere, & oculorum oblectamenta quae erere, graeca leuitate multi iam coeperant, priuato dedecore, publico damno: nam delicijs contempnendis

dis imperium Romana seueritas auxerat. unde Virgilius lib. VI.

Excudent alij speranza mollius aera:

Credo equidem, uiuos ducent de marmore uultus,

Tu regere imperio populos Romane memento:

Hae tibi erunt artes, pacisque imponere morem;

Parcere subiectis, & debellare superbos.

FACILE patiebantur, & hic loquendi modus aequitatem animi, cum neutram in partem laboramus, ostendit, ut in ep. ad Pompeium: Plus officij apud alium residere, facillime patior. VECTIGALES, aut stipendiarios & sociorum tria genera, immunes, uectigales, stipendiarij: quorum stipendiarij deterri ma conditione. uectigal enim certum, & aequale: stipendium a populo Romano pro temporum ratione imponebatur. QVI IAM ciues Romani sunt, & supra: Quam uos Reginis, quorum ciuitati inuidetis, ciuibus Romanis, ostendere soletis.

## O R A T I O

QVID arbitramini Reginos, quiam Ciues R. sūt, mereri uelle, ut ab ijs marmorea Venus illa ne auferatur? quid Tarentinos, ut ne Europam in Tauro sedentem amittant? ut Satyrum, qui apud illos in aede Vestae est? ut cetera? quid Thestipenses, ut Cupidinis signum, propter quod unū uisuntur Thestipiae? quid Gnidios, ut Venerem marmoream? quid ut pictam, Coos? quid Ephesios, ut Alexandrum? quid Cyzicenos, ut Aiace, aut Medeam? quid Rhodios, ut Ialium? quid Athenienses, ut ex marmore Iacchum, aut Parhalum pictum, aut ex aere Mironis buculam? longum est, & non necessarium commemorare, quae apud quosque uisenda sunt tota Asia, & Graecia. uerum illud est, quod uobis haec commemorarim; quod existimare uos hoc uolo, mirum quēdam dolorem accidere ijs, ex quorum urbibus haec auferantur, atque ut ceteros omittamus, de ipsis Syracusanis cognoscite: ad quos ego cum uenissem, sic primo existimabam, ut Romae ex istius amicis acceperam, ciuitatem Siracusana propter Heraclij hereditatem non minus esse isti amicam, quam Mamertinam propter praedarum, ac furtoꝝ omnium societatem: simul & uerebar, ne mulierum nobilium, & formosarum gratia, quarum iste arbitrio praeturā per triennium gesserat, uirorumque quibuscū illae nuptae erant, nimia in istum non lenitudine, sed etiam liberalitate oppugnaret, si quid ex litteris Syracusanorum conquirerem: itaque Syracusis cum ciuibus R. eram: eorum tabulas exscribebam, iniurias cognoscebam: cū diutius in negotio, curaque fueram; ut requiescerem, curamque animi remitterem, ad Carpinatij praeclaras tabulas reuertebam: ubi cum equitibus R. ex illo conuentu honestissimis illos Verutios, de quibus ante dixi, explicabam, a Siracusanis prorsus nihil adiumenti neque publice, neque priuatim exspectabam, neque erat in animo postulare. cum haec agerem, repente ad me uenit Heraclius, is, qui tum magistratum Syracusis habebat, homo nobilis, qui sacerdos Jouis fuisset: qui honos apud Siracusanos est amplissimus. agit mecum, & cum fratre meo, ut, si nobis uideretur, adiremus ad eorum senatum: frequentes esse in curia: se iussu senatus a nobis petere, ut ueniremus; primo nobis fuit dubium, quid egeremus: deinde cito uenit in mentem, non esse uitandum nobis illum conuentum, & locum: itaque incuriam uenimus. honorifice sane consurgitur. nos rogatu magistratus assedimus. incipit is loqui, qui & auctoritate, & aetate, & ut mihi uisum est, usu rerum antecedebat, Diodorus Timarchides: cuius om-

nis oratio hāc habuit primo sententiam: Senatum populumque Syracusanū moleste, grauiusque ferre, quod ego cū in ceteris Siciliae ciuitatibus senatū populūq. docuissem, quid eis utilitatis, quid salutis afferre, & cū ab omnibus mādata, legatos, litteras, testimoniaque sumpsissem, in illa ciuitate nihil eiusmodi facerem. Respondi, neque Romae in conuentu Sicularum, cum a me auxilium communi omnium legationum consilio petebatur, causaque totius ad me Siciliae deferretur, legatos Syracusanorum affuisse; neque me postulare, ut quidquam contra C. Verrem decerneretur in ea curia, in qua inauratam C. Verri statuam uiderem. Quod postea quā dixi, tantus est gemitus factus ad spectū statuac, & commemoratione, ut illud in curia positum monumentū scelerum, non beneficiorum uideretur. tum pro se quisque, quantum dicendo ab se qui poterat, docere me coepit, quae paulo ante commemorauis: spoliatam urbem, sanā direpta, de Heraclij hereditate, quam palestritis concessisset, multo maximam partem ipsum abstulisset: neque postulandum fuisse, ut ille palaestritas diligeret, qui etiam inuentorem olei deum sustulisset: neque illā statuam esse ex pecunia publica, neque publice datam: sed eos, qui hereditatis diripiendae participes fuissent, faciendam statuendamque curasse: eosdem Romae fuisse legatos, illius auditores improbitatis, socios furtoꝝ, conscios flagitiorum: eo minus mirari me oportere, si illi communi legatorum uoluntati, & saluti Siciliae defuissent. Vbi eorum dolorem ex illius iniurijs non modo minorem, sed prope maiorem, quam ceterorum Sicularum, esse cognoui; tum ego meum animum in illos, tum mei consilij, negotijque totius suscepti causā, rationemque proposui: tum eos horrtatus sum, ut causae communi, salutique ne deessent, ut ei illam laudationem, quam se ui, ac metu coactos paucis illis diebus decreuisse dicebant, tollerent. itaque iudices, Siracusani haec faciunt, istius clientes, atque amici: primum mihi litteras publicas, quas in aerario sanctiore conditas habebant, proferunt: in quibus ostendunt omnia, quae dixi ablata, esse perscripta, & plura etiam, quam ego potui dicere: perscripta autem hoc modo, quod ex aede Minerae hoc & illud abisset, quod ex aede Jouis, quod ex aede Liberi. ut quisque eas rebus tuedis, cōseruandisque praeseruat, ita perscriptum erat, cum ratione ex lege redderet, & quae acceperat, deberet tradere, petisse, ut sibi, quod heres abisset, ignoscere: itaque omnes liberatos discessisse, & esse ignotū omnibus. quas ego litteras obsignandas publico signo, deportandasque.

dasq. curavi. De laudatione autē ratio sic reddita est: primum, cum a Verre litē erat alquanto ante adventū meum de laudatione nensent, nihil esse decretum: dein de, cum quidam ex illius amicis commonerent, oportere decerni. maximo esse clamore, & conicio repudiatos; & postea quam meus adventus appropinquavit, imperasse eum, qui summam potestatem haberet, ut decernerent: decretum ita esse, ut multo plus illi laudatio mal., quam boni possit afferre. id adeo, iudices, ut mihi ab illis demonstratum est, sic vos ex me cognoscite. Mos est Syracusis, ut, si qua de re ad senatum referatur, dicat sententiam, qui velut nominatim nemo rogatur: & tamen, ut quisque honore, & aetate antecedit, ita primus solet sua sponte dicere, idq. a ceteris ei conceditur: si quando taceant oēs, tunc solito cogitur dicere. cū hic mos esset, refertur ad senatū de laudatione Verri, in quo primū, ut abiqui esset morae, multi interpellant: de Sex. Peducaeo, qui de illa civitate, totaq. provincia optime meritus esset, sese antea, cū audissent ei negotium facturum, cumq. eum publice pro plurimis eius, & maximis meritis laudare cuperent, a C. Verre prohibitos esse: iniquum esse, tametsi Peducaeus eorū laudatione iam non uteretur, tamen non id prius decernere, quod aliquando noluisse, quam quod tum cogerebantur, conclamant omnes, & approbant ita fieri oportere. refertur de Peducaeo, ut quisque aetate, & bonore antecederet, ita sententiam dixit ex ordine, id adeo ex ipso S. C. cognoscite: nam principium sententiae perscribi solet. **RECITA. QVOD VERBA FACTA SVNT DE SEX. PEDUCAEO.** Dicit, qui primus suaserit decernitur. refertur deinde de Verre. dic, quaeso. **QVOD** quo modo? **QVOD VERBA FACTA SVNT DE C. VERRE.** Quid postea scriptum est? **CVM SVRGERET NEMO, NEQVE SENTENTIAM DICERET.** Quid hoc est? **SORS DVCI TVR.** Quamobrem? nemo erat voluntarius laudator praeturae tuae, defensor periculorum tuorum? praesertim cum invia praetore gratiam posset? nemo, ipsi illi tui coniuvae, consularij, & consij, verbum facere non audebant, in qua curia statua tua stabat, & nuda filij, in ea nemo fuit, quem ne nudus quidem filius in nuda provincia commoveret. Atque etiam hoc me docent, eiusmodi S. C. sese fecisse laudationem, ut omnes intelligere possent, non laudationem, sed potius irrisionem esse illam, quae commonefaceret istius turpem, calamitosamq. praeturam: et omnino scriptum esse ita; **QVOD** iste virgis neminem occidisset, a quo cognoscitis nobilissimos homines, atque innocentissimos securi esse percussos: **QVOD** vigilanter provinciam administrasset: cuius omnes vigilias in stupris constat, adulterijsq. esse consumptas. hoc autem scriptum etiā, quod proferre non auderet reus, accusator recitare nō desineret; **QVOD** praedones procul ab insula Sicilia prohibuisset Verres; quos etiā intra Syracusanā insulam recepisset. Quae postea quam ex illis cognovi, discessi cum fratre e curia; ut nobis absentibus, si quid vellent decernerent, decernunt statim: primum, ut Lutio fratri hospitium publice fieret, quod is eandem voluntatem erga Syracusanos suscepisset, quam ego semper habuissim. id non modo tam scripserunt, verū etiam in aere incisum nobis tradiderunt: ualde hercule Syracusani tui, quos crebro commemorare soles, diligunt: qui cum accusatore tuo satis instam causam con-

iungendae necessitudinis putant, quod te accusaturus sit, & quod ad inquirendum in te venerit. Postea decernitur, ac non uarie, sed prope cunctis sententijs, ne laudatio, quae C. Verri decreta esset, tolleretur. At uero, cum iam non solum discessio facta esset, sed etiam perscriptum, atque in tabulas relatum, praetor appellatur, at quis appellat? magistratus aliquis? nemo senator? ne id quidē. Syracusanorū aliquis? minime. quia igitur praetorem appellat? qui quaestor istius fuerat, Caecilus. o rem rediculam: o desertum hominem: o desperatum, ac relictum. a magistratu Siculo, ne S. C. Siculi homines facere possent, ne suum ius suis moribus, suis legibus obtinere possent, non amicus istius, non hospes, non denique aliquis Siculus, sed quaestor praetorem appellat. quis hoc uidit? aut quis audiuit? praetor aequus, & sapiens dimitti iubet senatum. concurrit ad me maxima multitudo. primum senatores clamare, eripi sibi ius, eripi libertatem: populus senatū laudare, gratias agere: ciues R. a me nusquam discedere. quo quidem die nihil aegrius factum est multo labore meo, quam ut manus ab illo appellatore abstineret. cum ad praetorem in ius adissemus, excogitat sane diligenter, & caute, quid decerneret: nam ante quam uerbum facerem, de sella surrexit, atque abiit: itaque stridie mane ab eo postulo, ut Syracusanis liceret S. C. quod pridie fecissent, mihi reddere. ille enim ueronegat: & ait indignum facinus esse, quod ego in senatu Graeco uerba fecissem: quod quidē apud Graecos Graece locutus essem, ferri nullo modo posse. Respondi homini, ut potui, ut uolui, ut debui: tum multa, tum etiā hoc me memini dicere: facile esse perspicuum, quantum inter hunc, & illum Numidicum, uerum, & germanum Metellum interesseret: illum noluisse sua laudatione iuuare L. Lucullum, sororis uirum, quicum optime conuenisset; hunc homini alienissimo a ciuitatibus laudationes per uim, & metum comparare. quod ubi intellexi, multū apud illum recentes nuncios, multū tabulas non commendaticias, sed tributarias ualuisse; admonitum ipsorum Syracusanorū impetum in eas tabulas facio, in quibus singula perscripta erant. Ecce autē noua turba, atque rixa: ne tamē istū omnino Syracusis sine amicis, sine hospitibus plane nudum esse, ac desertū putetis. retinere coepit tabulas Theomastus quidā, homo ridicule insanus: quē Syracusani Theoractum uocāt: qui illic eiusmodi est, ut eū pueri secleretur, ut omnes, cū loqui coeperit, irrideant. huius tamen insania, quae ridicula est alijs, mihi tum molesta sane fuit. nā cū spumas ageret in ore; aderet oculi; uoce maxima, uim me sibi afferre, clamaret: copulati in ius peruenimus. hic ego postulare coepi, ut mihi tabulas obsequare, ac de portare liceret: ille contra. instare ego, omnium mihi tabularum, & litterarum fieri potestatem oportere: contra ille furiosus urgere, nihil ad se nostras leges pertinere. praetor intelligens, negare sibi placere, quod S. C. ratū esse non deberet, id me Romam deportare. quid multa? nisi uehementius homini minatus essem, nisi legum sanctionem, poenāq. recitasset; tabularū mihi potestas facta non esset. ille autem insanus, qui pro isto contra me uehementissime declamasset, postquā nō impetravit, credo ut in gratiam mecum rediret, libellum mihi dat, in quo istius furta Syracusana perscripta erant: quae ego antea iam ab illis cognoram, & acceperam. Laudent te

sane

sane iam Mamertini qui ex tanta provincia soli sunt, qui te saluum velint: ita tamen laudent, ut Heius, qui eius princeps legationis est, adsit: a laudet, ut ea, quae rogati erunt, mihi parati sint respondere. ac ne subito a me opprimatur, haec sum rogaturus: nauē debeant nec facerentur: praebuerint ne praetore C. Verre negabūt. ac dīsi cauerint ne nauē onerariā maximā publice, quā Verri dederūt negare nō poterūt: frumētū ne ab his sumpserit Verres, quod populo R. mitteret, sicuti superiores negabunt. quid militū, aut nauarū per triennū dederūt nullū datū dicēt. fuisse Messanā oīum istius furtoū, ac praedarū receptricē negare nō poterūt, p̄ multa multis nauibus illinc exportatā hāc denique nauē maximā a Mamertinis datā, onustā, cū isto praetore p̄fecta ē fatebuntur. Quamobrem tibi habes sane istā laudationē Mamertinam: Syracusanā quidē civitatē, ut abs te affecta

est, ita tē esse animatā uideamus: apud quos ē Verrea illa flagitiosa sublata sunt, etenim minime cōueniebat, ei deorū honores haberi, qui simulacra deorū sustulisset. etiā mebercule illud in Syracusanis merito reprehēderetur, si, cū diē festū ludorū de factis suis sustulisset celebrimū, & sanctissimū, quod eo ipso die Syracusae a Marcello captae esse dicuntur, idē diē festū Verri nomine agerēt; cū iste Syracusanis, quae ille calamitosus dies reliquerit, ademisset. at uidete hominis impudentiā, atque arrogantiam, iudices, qui nō solū Verrea haec turpia, ac ridicula, ex Heraclij pecunia cōstituerit, uerū etiā Marcellae tolli imperarit; ut ei sacra faceret quotāvis eius opera omnium annorū sacra, deosq. patrios miserat; eius autem familiae dies festos tollerent, per quā ceteros quoque festos dies recuperarant.

## EXPLANATIO

**M**ERERI § soluere, & impendere, ut lib. V. Quid censetis in hoc foedere faciundo uoluisse Mamertinos impendere laboris, operae, pecuniae, ne haec biremis adscriberetur, si id ullo modo possent a nostris maioribus impetrare? **HERACLII** § de quo lib. II. **NON lenitudine**, § placeret, Non modo lenitudine: cum sequatur, Sed etiam liberalitate. **LIBERALITATE** § qui uxores Verri libidini permitterent: ut communes uiderentur esse. **DE QUIBUS, aut dixi**, § lib. II. **MONUMENTVM scelerum**, § ne scelera Verri quisquam posset obliuisci. **INVENTOREM olei deum** § Aristeum, Bacchi filium, de quo paullo ante. **HEREDITATIS** § Heraclij. **NON modo minorem**, § pro, Nedom minorem: ut in ep. ad Lentulum: Non modo praemijs, sed ne periculis quidem compulsus ullis. Et alibi saepe. **VT EI** § non placet, Ei. **PAUCIS illius diebus** § cum iam appropinquaret aduentus meus. **QVI SVM- MAM potestatem haberet**, § praetorem L. Metellum. **DE SEX, Peducaeo**, § patre eius, qui Attici amicissimus fuit. **EI NEGOTIVM facessim**, § reum esse factum. sic ad Appium: Cum est ad nos allatum de temeritate eorum, qui tibi negotium facesserent. **NE NVDVVS quidem filius** § obscenae libidinis cupiditate, hanc suspicionem saepe excitat de puero Verre, ut in Diuin. Curfare iste homo potens cum filio blando & gratioso circum tribus, Lib. II. Hunc enim puerum non oderant Lib. III. Vester ille puer praetextatus in prouincijs quemadmodum fuisset, dicerem, si pueri esse illam cūl pām, ac non patris existimare. **IN NVDA prouincia** § exinanita, exhausta, despoliata, **COGNOSCITIS** § malum, Cognoscitis: a testibus uidelicet. **DISCESSIO** § eadem, quae Romae fieri solebat in S. C. faciendis, aut improbandis. **PRAETOR appellatur**, § qui aderat, L. Metellus. Appellatur autem, ne laudationem illam tolli sinat. **CAECILIUS**, § cum quo Ciceroni de accusando Verre contentio fuerat. **A MAGISTRA TV Siculo**, § Caecilius a magistratu Siculo praetorem appellat: id est, omisso magistratu Siculo, ad praetorem confugit. **SED quaestor** § qui fuerat, non qui tunc esset. **GRABCE locutus** § quasi dignitas in eo senatoris populi Romani minueretur. **VERVM**, § germanum Metellum § quasi alij minus hoc digni nomine uiderentur. Similiter supra: Ille uero tum se Metellum minime fore putasset, si te ulla in re imitatus esset. **LVVARE** § Lucullum reum, sororis suae uirum, Luculli patre, qui de Mithridate & Tigraue triumphauit. Plutarchus. **QVOD ubi intellexi**, § Quod, pro, Sed, ut lib. I. **QVOD uos oblitus esse non arbitror**, quae multitudo, qui ordo ad Pisonis sellam isto praetore solitus sit conuenire. Et lib. II. **QVOD ego nisi meo aduentu illius conatus aliquantulum repressissem**. **RECENTES nuncios** § Laetiliū de quo lib. II. **TRIBVTARIAS** § quae Metello munera tribuerent. Lib. II. Is epistolas complures attulerat, in ijs unam domo, quae totum hominem immutaret. **THEOMNASTVS** § dei memor, Latine ualeat. Verri familiaris fuerat: ut lib. II. **THEORACTVM** § diuino furore commotum, a deo percussum. **VOCANT**: § per irrisionem. **PRAETOR intelligens**, § cum ironia. **LEGVM** § de repetundis. lib. II. Nisi Clabronis litteris, ac lege putassem; tam multos huc euocare non potuissem. **SANCTIONEM**, § ne quis impediatur, quo minus & obsignare, & deportare Romam tabulas liceat. **POENAMQ.** § si quis impederit. **VT Heius**, qui eius princeps legationis est adsit: § qui si adierit, publico te nomine laudabit, suo laedet. sibi enim e sacratio suo Cupidinem marmoreum, Herculem aeneum, Canephoras sublatas esse dicet, quemadmodum priore iam dixit actione. **NAVEM debeant nec** § populo Romano. **SVPERIORES**, § qui ante Verrem Siciliae praefuerunt. **DIEM festum** § Marcellae. **SVSTVLISSENT**, § non tamen sua sponte sed iussu Verri. lib. II. **EX HERACLII pecunia** § ut erogaretur in sumptum eius diei. **EI** § Verri, tamquam deo. **OMNIVM annorum sacra**, § nam cui deo sacra fuerent, cum Verres omnium deorum simulacra sustulisset? in Diuin. Sese iam ne deos quidem in suis urbibus, ad quos confugerent, habere; quod eorum simulacra sanctissima, C. Verres ex delubris religiosissimis sustulisset. **PATRIOS** § quos iam pridem colere soliti essent. **EIVS autem familiae** § Claudiae Marcellorum. **DIES festos** § pro, diem festum. **RECVPERARANT**, § cum iure belli, uictore M. Marcello, omnia amisissent. Familiam Cicero nominauit, cum unum M. Marcellum nominare posset; ut a iudicibus C. Marcello, & Cn. Lentulo Marcellino gratiam iniret.

# IN LIBRVM V. ACTIONIS II CICERONIS. IN VERREM

QVI. DE. SVPPliciiS. INSCRIBITVR

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS



## ORATIO. X



**N**EMINI uideo dubiū esse, iudices, quin aptissime C. Verres in Sicilia sacra, profanaq. oīa et priuata, & publice spoliarit, uersatusq. sit sine ulla nō modo religione, uerū etiam dissimulatione in omni genere furandi, atque praedandi, sed quaedā mihi magnificā, & praeclara eius defēso ostenditur: cui quemadmodū resistā, multo mihi antea est iudices, prouidendum. ita enim causa constituitur, prouinciā Siciliam uirtute eius, & uigilantia singulari, dubijs formidolosiq. temporibus, a fugitiuis, atq. a belli periculis tutam esse seruata. quid agam, iudices? quo accusationis meae rationem cōferam? quo me uertam? ad omnes enim meos impetus, quasi murus quidam, boni nomen imperatoris opponitur. noui locum, uideo, ubi se iactaturus sit Hortensius. belli pericula, tempora reip. imperatorum paenuriā commemorabit. tum deprecabitur a uobis, tum etiā pro suo iure contendet, ne patiamini talem imperatorem populo R. Siculorum testimonij eripi, ne ne obserui laudem imperatoriā criminibus auaritiaē uelitis. Non possū dissimulare, iudices. timeo, ne C. Verres, propter hāc uirtutem eximiam in re militari, omnia, quae fecit, impune fecerit: uenit enim mihi in mentem, in iudicio M. Aquilij quantum auctoritatis, quantum momenti oratio M. Antonij habuisse existimata sit: qui, ut erat in dicendo non solum sapiens, sed etiam fortis, causa prope perorata, ipse arripuit M. Aquilium, constituitq. in conspectu omnium, tunicamq. eius a pectore abscidit, ut cicatrices populi R. iudicesq. adspicerent aduerso corpore exceptas. simul & de illo uulnere, quod ille in capite ab hostium duce acceperat, multa dixit: eoq. adduxit eos, qui erant iudicaturi, uehemēter ut uerentur, ne, quem uirum fortuna ex hostium telis eripisset, cum sibi ipse non pepercisset. hic non ad populi R. laudem, sed ad iudicium crudelitatem uideretur esse seruatus. Haec eadem nunc ab illis defensionis ratio, utiq. tentatur: idem quaeritur. sit fur, sit sacrilegus, sit flagitiorum omnium, uirtuorumq. princeps: at est bonus imperator, & felix, & ad dubia reip. tempora reseruandus. Non agam summo iure te-

cum: non dicam id, quod debeam forsitan obtinere; cū iudicium certa lege sit constitutum, non quid in re militari fortiter feceris, sed quemadmodum manus ab alienis pecunijs abstinueris, abs te doceri oportere. non, inquam, sic agam: sed ita quaero, quemadmodum te uelle intelligo, quae tua opera, & quanta fuerit in bello. quid dices? an bello fugitiuorum Siciliam uirtute tua liberatam? magna laus, honesta oratio: sed tamē quo bello? nos enim post id bellum, quod M. Aquilius confecit, sic accepimus, nullum in Sicilia fugitiuorum bellum fuisse. at in Italia fuit. fateor: & magnū quidam, ac uehemens. num igitur ex eo bello partem aliquam laudis appetere conaris? num tibi illius uictoriae gloriam cum M. Crasso, aut Cn. Pompeio communicandam putas? non ai bitror hoc etiam deesse tuae impudentiae, ut quidquam eiusmodi dicere audeas. Obstitisti uidelicet, ne ex Italia transire in Siciliam fugitiuorum copiae possent. ubi? quando? qua ex parte? cum aut nauibus, aut ratibus conarentur accedere? nos enim nihil umquā prorsus audiimus: & illud audiimus, M. Crassi, fortissimi uiri, uirtute, consilioq. factum, ne ratibus coniunctis freti fugitiui ad Mesanam transire possent. a quo illi conatu non tantopere prohibendi fuissent, si ulla in Sicilia praesidia ad illorum aduentū opposita putarentur. At, cum in Italia bellum tam prope a Sicilia, tamen in Sicilia non fuit. quid mirum? ne cum in Sicilia quidem fuit, eodem interuallo pars eius belli in Italiam ulla peruasit. et enim propinquitas ad utram partem hoc loco profertur? utrum, aditum facilem hostibus, an contagionem imitandi eius belli periculosam fuisse? aditus omnis hominibus sine ulla facultate nauium non modo disunctus, sed etiā clausus fuit: ut illis, quibus Siciliam propinquam fuisse dicis, facilius fuerit ad Oceanum peruenire, quam ad Peloridem accedere. Contagio autem ista seruilis belli cur abs te potius, quam ab iis omnibus, qui ceteras prouincias obtinuerunt, praedicatur? an quod in Sicilia iam antea bella fugitiuorum fuerunt? at ea ipsa causa est, cur ipsa prouincia minimo in periculo sit, & fuerit. nam postea quā illinc M. Aquilius decessit, omnium instituta, atque edita praetorum fuerūt eiusmodi, ut ne quis cū toto seruus esset. uetus est, quod dicam, & propter seueritatem

KK

seueritatem exempli nemini fortasse uestrum inauditum: L. Domitium praetorem in Sicilia tam aper ingens ad eum alatus esset, admiratum requisisse, quis eum percussisset: cum audisset, pastorem cuiusdam fuisse, eum ad se uocari iussisse: illum cupide ad praetorem, quasi ad laudem, atque ad praemium, accurrisse: quae fuisse Domitium, qui tantam bestiam percussisset illum respondisse, uenabulo: statim deinde iussu praetoris in crucem esse sublatum. durum hoc fortasse uideatur: neque ego ullam in partem disputo: tantum intelligo, maluisse Domitium crudelem in animaduertendo, quam in praetermittendo dissolutum uideri. Ergo his institutis prouinciae, iam tum, cum bello fugitiuorum tota Italia arderet, homo non accerrimus, nec fortissimus, Cn. Norbanus in summo otio fuit: per facile enim sese Sicilia tuebatur, ne quod in ipsa bellum posset existere. etenim cum nihil tam coniectum sit, quam negotiatores nostri cum

Siculis usu, re, ratione, concordia: Et cum ipsi Siculi res suas ita constitutas habeant, ut his pacem expediat esse; imperium autem populi Romani diligant, ut id imminui, ac commutari minime uelint: cumque haec ab seruorum bello pericula et praetorum institutis, et minorum disciplina prouisa sint: nullum est malum domesticum, quod ex ipsa prouincia nasci possit. Quid igitur? nulli ne motus in Sicilia seruorum Verre praetore et nullae ne consensiones factae esse dicuntur? nihil sane, quod ad senatum populumque Romanum peruenerit: nihil, quod iste Romam publice conscripserit. Et tamen coeptum esse in Sicilia moueri aliquot locis seruitium suspicor. id adeo non tam ex re, quam ex istius factis, decretis cognosco. ac uidete, quam non inimico animo sum acturus. ego ipse haec quae ille quaerit, quae ab uisumquam audistis, commemorabo, et proferam.

## EXPLANATIO

**N** OVI locum: qui occasionem & facultatem exaggerandi praebeat oratori: PRO SVO iure contendet, qui carpit eum, quasi dominari soleret in iudicijs. nam, PRO suo iure, potentiam significat. TIMEO, hoc totum ironia est. nullam enim esse Verri in re militari uirtutem, aut uigilantiam, ostendit. M. AQUILLIUS qui de repetundis ex Sicilia est accusatus a L. Fufio, lib. II. OFFORTIS magno animo praeditus. AB HOSTIUM duce fugitiuorum dux Athenio fuit, quos Aquillius in Sicilia uicit, de quibus etiam ouauit; CVM SIBI ipse non pepercisset, cum in pugna nullam suae salutis rationem habuisset. AD IUDICIUM crudelitatem ut eum iudices necarent, quem seruire fortuna uoluisset. SYMMO iure ut nihil afferre te patiar in iudicium, nisi quod ad crimen repetundarum, de quo reus es, pertinet. CERTA lege de repetundis. AT IN Italia fuit. Spartaco duce, quem uicit M. Crassus. AUT EN. Pompeio cum fugitiuis Pompeius non pugnauit: sed, cum ex Hispania, superato Sertorio, rediret magnum fugitiuis terrorem eius aduentus iniicit. unde illa in oratione pro lege Manilia: Testis est iterum & laepius Italia: quae cum seruili bello tacto periculosoque premeretur, ab hoc auxilium absente expectauit: quod bellum expectatione Pompeij attenuatum, atque in minutum est, aduentu sublatum, ac sepulchrum. TAM PROPE Sicilia, tam prope Siciliam esset. TAMEN in Sicilia non fuit. quasi, ne esset, Verres effecerit. ADITVM in Sicilia. HOSTIBVS seruorum copijs, quae erant in Italia. IMITANDI eius belli ne serui qui erant in Sicilia, imitarentur eos, qui bellum in Italia excitauerant. SINE ulla facultate nauium, qui nauibus omnino carerent. LLLIS fugitiuis. AD PELORIDEM Siciliae promontorium, Italiam spectans. PRAEDICATUR quasi eam ipse prohibueris. IN CRUCEM esse sublatum. serui si supplicio affectum. pastor enim ille seruus fuit. CN. NORBANVS praetor in Sicilia. C. Norbanus uocatur lib. III. & fortasse is est, qui cum L. Scipione consul fuit. RATIONE, qui contrahunt inter se.

## ORATIO

**I** N Triochalino, quem locum fugitiui iam ante tenuerunt, Leonidae cuiusdam Siculi familia in suspicionem uocata est coniurationis, res delata ad istum. statim, ut par fuit, iussu eius homines, qui nominati erant, comprehensi sunt, adductique Lilybaeum: domino denunciatum est, ut adesset: causa dicti damnati sunt. Quid deinde? quid censetis? furtum fortasse, aut praedam expectatis aliquam? nolite usquequaque eadem quaerere. in metu belli, furandi qui locus potest esse? etiam si qua hic fuit in hac re occasio, praetermissa est. tu potuit a Leonida nummorum aliquid auferre, cum denunciatum, ut adesset. fuit nundinatio aliqua, et isti non noua, ne causam diceret, etiam alter locus, ut absoluerentur. damnatis quidem seruis, quae praedandi potest esse ratio? produci ad supplicium necesse est. testes enim sunt, qui in consilio fuerunt: testes publicae tabulae: testes splendidissima ciuitas Lilybaetana: testis honestissimus,

maximusque conuentus ciuium Romani. nihil potest. producendi sunt: itaque producuntur, et ad palum alligantur. Etiam num mihi expectare uidemini, iudices, quid deinde factum sit: quid iste nihil unquam fecit sine aliquo quaestu, atque praeda. quid in eiusmodi re fieri potuit? quod commodum est? expectare facinus quam uultis improbum: uincam tamen expectationem omnium. Nomine sceleris, coniurationisque damnati, ad supplicium traditi, ad palum alligati, repente, multis millibus hominum inspectantibus, soluti sunt, et Leonidae illi domino redditi. Quid hoc loco potes dicere, homo amentissimus? nisi id, quod ego non quaero, quod denique in re tam nefaria, tamen si dubitari non potest, tamen, ne si dubitetur quidem, quaeri oporteat: quid, aut quantum, aut quo modo acceperis. remitto tibi hoc totum, atque ista te cura libero: neque enim meo, ne hoc cuiquam persuadeatur, ut, ad quod facinus nemo, praeter

praeter te; ulla pecunia adduci poterit, id tu gratis suscipere conatus sis. uerum de ista furandi, praedandi, ratione nihil dico: de hac imperatoria iam tua laude disputo. Quid ais, bone custos, defensorq. provinciae? tu, quos seruos arma capere, ac bellum facere in Sicilia uoluisse cognoras, et de consilij sententia iudicaras, hos ad supplicium iam more maiorum traditos, & ad palum alligatos, ex media morte eripere, ac liberare ausus es, ut, quam damnatis seruis crucem fixeras, hanc indemnatis ciuibus referuares? perditae ciuitates, desperatis omnibus rebus, hos solent exiis exitiales habere, ut damnati in integrum restituantur, uicti soluantur, exsules reducantur, res iudicatae rescindan-

tur. quae cum accidunt, nemo est, qui intelligat uere illam remp. haec ubi eueniunt, nemo est, qui ullam spem salutis reliquam esse arbitretur. atque haec sibi facta sunt, facta sunt, ut homines populares, aut nobiles supplicio, aut exilio leuantur; at non ab ijs ipsis, qui iudicassent; at non statim, at non eorū facinorum damnati, quae ad uitam, & fortunas omnium pertinerent. hoc uero nouū, & eiusmodi est, ut magis propter reū, quam propter rem ipsam credibile esse uideatur, ut homines seruos, ut ipse, qui iudicarat, ut statim, e medio supplicio dimiserit; ut eius facinoris damnatos seruos, quod ad omnium liberorum caput, & sanguinem pertineret.

## EXPLANATIO

**I**NTRIOCHALINO? Silius: Et mox seruii uastata Triochala bello. **FURTVM?** Verris. **PRÆTERMISSA** est. & minime praetermissa. sic enim intelligendum. **FUIT** nundinatio aliqua? id est, esse potuit. **NISI** id? te pecuniam accepisse. **NE** si dubitetur quidem? non dubitatur, quin pecuniam acceperis: sed, si dubitatur, id quaeri tamen in re tam nefaria non oportet. nam, si pecuniam non accepisti, qua ratione adductus eos liberaſti? **PROPTER** reum, & propter ipsum Verrem: a quo tantum sceleris esse commissum, credibile est. **IPSE**. **QVI** iudicarat, & ipse Verres qui eos damnauerat. Hoc ad illud supra dictum refertur, Vt non ab ijs ipsis, qui iudicassent. Nam ad quattuor proposita, quattuor item hic subiunguntur, utraque per particulam, Vt.

## ORATIO

**O** **PRAECLARVM** imperatorem, nec iam cum M. Aquilio, fortissimo uiro, sed uero cum Paullis, Scipionibus, Marijs conferendum. Tantum ne uidiſſe in metu, periculoq. provinciae cum seruitorum animos in Sicilia suspensos propter bellū Italiae fugitiuorum uideret; ne quis se commouere audeat, quantum terroris iniecit & comprehendendi iussit: quis non pertimescat? causam dicere dominos: quid seruis tam formidolosum? fecisse uideri, pronunciauit. exortam ut datur flammam paucorum dolore, ac morte restinxisset, quid deinde se quitur? uerbera, atque ignes, & illa extrema ad supplicium damnatorum, metum ceterorum, cruciatus, & crux. hinc omnibus supplicij sunt liberati: quis dubitet, quin seruorum animos summa formidine oppresserit, cum uiderent ea facilitate praetorem, ut ab eo sceleris, coniurationisq. damnatorum uita, uel ipso carnifice interuincio, redimeretur? Quid? hoc in Apollonenſi Aristodamo? quid? in Leonte Megarenſi non idem fecisti? quid? iste motus seruorum, belliq. subita suspicio utrum tibi tandem diligentia custodiendae provinciae, an nouam rationem improbiſſimi quaestus attulit? Halyciensis Eumenidae, nobilis hominis, & honesti, magnae pecuniae uillicus cum impulsu tuo insimulatus est, HS LX a domino accepisti. quod, nuper ipse iuratus docuit, quem admodum gestū esset. Ab equite R. C. Matrinio absente, cum is esset Romae, quod eius uillicos, pastoresq. tibi in suspicionem uenisse dixeras, HS E abstulisti. dixit hoc L. Flauius, qui tibi eam pecuniam numerauit, procurator C. Matrinij: dixit ipse C. Matrinij: dicit clarissimus uir, Cn. Lētulus censor, q. Matrinij honoris causa, recēti negotio ad te litteras misit, mittēdasq. curauit. Quid? de Apollonio, dioclis filio, Panbormitano, cui Gemino cognomē est, praeteriri potest? ecq. hoc tota Sici-

lia clarius? ecquid indignius? ecquid manifestius perferri potest? quem is, uti Panbormum uenit, ad se uocari, & de tribunali citari iussit, concursu magno, frequentiaq. conueniens. homines statim loqui, mirari, quod Apollonius homo pecuniosus, tam diu ab isto maneret integer: excogitauit: nescio quid attulit: profecto homo diues repente a Verre non sine causa citatur: expectatio summa omnium, quidnam id esset: cum examinatus subito ipse accurrit cum adolescente filio: nam pater grandis notu iadū lesto tenebatur. nominat iste seruum, quem magistrum pecoris esse diceret: eum dicit conuuisse, & alias familias concitasse. is omnino seruus in familia non erat. eum statim exhiberi iubet. Apollonius affirmat seruum se omnino illo nomine habere neminem. iste hominem arripi a tribunali, & in carcerem conijci iubet: ille clamare eum raperetur, nihil se miserum fecisse, nihil commississe. pecuniam sibi esse in nominibus, numeratam in praesentia non habere. haec cum maxime summa hominum frequentia testificaretur, ut quiuis intelligere posset, eum quod pecuniam non dedisset, iccirco illa tam acerba iniuria affici; cum maxime, ut dico, hoc de pecunia clamaret, in uincla coniectus est. uidete constantiam praetoris, & eius praetoris, qui nunc reus non ita defendatur, ut mediocriſ praetor, sed ita laudetur, ut optimus imperator. cum seruorum bellum metueretur; quo supplicio dominos indemnatos afficiebat, hoc seruos damnatos liberabat. Apollonium, locupletissimum hominem, qui, si fugitiui bellum in Sicilia facerent, amplissimas fortunas amitteret, belli fugitiuorum nomine, indicta causa, in uincla coniecit: seruos, quos ipse cum consilio belli faciendi causa consensisse iudicauit, eos sine consilij sententia, sua sponte, omni supplicio liberauit. quid, si ab Apollonio aliquid commissum est, quam-



obrem iure in eum animaduertetur: tamen ne hanc rem sic agemus, ut crimini, aut inuidiae reo putemus esse oportere, si quo de homine seuerius iudicauit? non agam tam acerbe: non utar ista accusatoria consuetudine, si quod est factum clementer, ut dissolute factum criminer; si quid uindicatum seuerus est, ut ex eo crudelitatis inuidiam colligam. non agam ista ratione: tua se quar iudicia: tuam defendam auctoritatem, quoad tu uoles simul ac iure coeperis tua iudicia rescindere, mihi succensere desinito: meo enim iure contendam, eum, qui suo iudicio condemnatus sit, iuratorum iudicum sententiam damnari oportere. non defendam Apollonij causam, amici, atque hospitis mei; ne tuum iudicium uidear rescindere. nihil de hominis frugalitate, uirtute, diligentia dicam. praeterritam illud etiam, de quo antea dixi, fortunas eius ita constitutas fuisse, familia, pecore, uillis, pecunijs creditis, ut nemini minus expediter, ullum in Sicilia tumultum, aut bellum commoueri. non dicam ne illud quidem, si maxime in culpa fuerit Apollonius, tamen in hominem honestissimum, ciuitatis honestissimae, tam grauer animaduerti, causa inducta, non oportuisse. nullam inuidiam in te ne ex illis quidem rebus concitabo, cum esset talis uir in carcere, in tenebris, in squalore, in sordibus, tyrannicis interditijs tuis, patri exacta aetate, & adolescenti filio ad eundem ad illum miserum potestatem numquam esse factam. etiam illud praeterrabo, quotiescumque Panhormum ueneris: illo anno, & sex mensibus, (nam tam diu fuit in carcere Apollonius) toties ad te senatum Panhormitanum adisse supplicem cum magistratibus, sacerdotibusque publicis, orantem, atque obsecrantem, ut aliquando ille miser, atque innocens calamitate illa liberaretur. relinquam haec omnia: quae si uelim persequi, facile ostendam, tua crudelitate in alios, omnes tibi aditus misericordiae iudicum iam pridem esse praeclosos. omnia igitur ista concedam, & remittam: praecuidem enim, quid sit defensus Hortensius. fatebitur, apud istum neque senectutem patris, neque adolescentiam filij, neque la-

crimas utriusque plus ualuisse, quam utilitatem, salutemque provinciae dicet, rem administrari sine metu, ac seueritate non posse. quaeret, quam obrem fauces praetoribus praefereantur, cur securae datae, cur carcer aedificatus, cur tot supplicia sint in improbos maiorum constituta. quae cum omnia grauer, seueraque dixerit: quaeram, cur hunc eundem Apollonij Verres idem, repente, nulla noua re allata, nulla defensione, sine causa, de carcere emitti iusserit: tantumque in hoc crimine suspicionis esse affirmabo, ut iam ipsis iudicibus sine mea argumentatione coe Euram facere permitte, quod hoc genus praedandi, quam improbum, quam indignum, quamque ad magnitudinem quaestus immensum, infinitumque esse uideatur. nam quae iste in Apollonio fecit, ea, primum breuiter cognoscite, quot, & quanta sint: deinde haec expedit, atque aestimate pecuniam: reperietis, iccirco haec in uno pecunioso tot constituta, ut ceteris formidines similium incommodorum, atque exempla periculorum proponerentur. Primum, insimulatio est repentina, capitalis, atque inuidiosissima. Statuite, quanti hoc putetis, & quam multos redemisse. deinde crimen sine accusatore, sententia sine consilio, damnatio sine defensione. aestimate barum rerum omnium pretia: cogitate, in his iniquitatibus unum haesisse Apollonij, ceteros profecto multos ex his in commodis pecunia se liberasse. postremo tenebrae, uincula, carcer, inclusum supplicium, atque a conspectu parentum, ac liberum, denique a libero spiritu, & communi luce seclusum. haec uero, quae uel uita redimi uel esse possunt, aestimare pecunia non queo. haec omnino sero redemit Apollonius, iam macerore, ac miseris perditus: sed tamen ceteros docuit, ante istius auaritia, ac scelesti occurrere, nisi uero existimatis, hominem pecuniosissimum sine aliqua causa quaestus, iniectum ad tam incredibile crimen, aut sine eadem causa repente e carcere emisum, aut hoc praedandi genus ab isto in illo uno adhibitum, ac tentatum, & non per illum omnibus pecuniosus Siculis metum propositum, & iniectum,

## EXPLANATIO

**F**ECISSE uideri, & condemnationis uerba: ut modeste suam sententiam iudices ostenderent. In Lucullo: Quae iurati iudices cognouissent, ut ea non esse facta, sed ut, uideri, pronunciarent. In epistola ad Att. lib. IV. Drusus, Scaurus, non fecisse uidentur. Simile illud lib. II. Sthenium litteras publicas corrupisse uideri. Ibidem: Omnium sententia pronunciatum esse, non uideri Sthenium impediri dicto, quo minus ei liceret Romae esse. Et pro Caecina, & in pisonem. **SUMMA** formidine oppresserit, & a contrario sensu: pro, Omni proorsu formidine liberat. **VEL** ipso carnifice internuncio & agente de pretio inter Verrem & Leonidam. **REDIMERETUR**, & uerbo usus est pecuniam indicante. **HS LX milia** & scutatos MDCCC. **HS C milia** & scutatorum tria millia. **CENSOR** & cum L. Gellio. **DIACLIS** & antique, pro Dioclis: ut Virgilius, Immittis Vlyssi. uide Carisium. **EXCOGITAVIT**: & contra Apollonij Verres. Inducit Cicero Panhormitanum aliquem ita loquentem. **NESCIO** quid attulit: & aliquid omnino attulit, quo Apollonij citaret. **IN NOMINIBUS**: & nomina pro debitoribus ponuntur. **NON habere**, & quam si haberet, petenti Verri dedisset. id enim significatur. **SERVOS** damnatos & Leonidae: de quo supra. **CLEMENTER**, & ut in seruis Leonidae. **SEVERE**, & ut in Apollonio. **EVM**, & Verrem. **SVO** iudicio & quia, cum suum de Apollonio iudicium rescidit, ipse se condemnauit: quae minus uos de eo condemnando dubitare nunc potestis. **REDEMISSE**, & ne accusaretur eiusmodi crimine. **VEL** uita & praestat enim mori, quam haec pati. **OCCURRERE**, & pecuniam se a Verre ante redimere, quam illa ferant, quae tullit Apollonius.

## O R A T I O

**C**VIO mihi, iudices, ab illo subijci, quoniam de militari eius gloria dico, si quid forte praeter eo. nam mihi uideor de omnibus iam rebus eius gestis, dixisse. quae quidem ad belli fugitiuorum pertinerent suspectionem: certe nihil sciens praetermissi. Habetis hominis consilia, diligentiam, uigilantiam, custodiam, defensionemque. prouinciae summa illuc pertinet, ut sciatis, quoniam plura genera sunt imperatorum, ex quo genere iste sit. ne diutius, in tanta paenuria uirorum fortium, talem imperatorem ignorare possitis, non ad Q. maximi sapientiam, neque ad illius superioris Africani in re gerenda celeritatem, neque ad huius, qui postea fuit, singulare consilium, neque ad Pauli rationem, ac disciplinam, neque ad C. Marii uim, atque uirtutem, sed ad aliud genus imperatorum, sane diligenter retinendum, & conseruandum, quae so, cognoscite. Itinerum primum laborem, qui uel maximus est in re militari, iudices, & in Sicilia maxime necessarius, accipite, quam facilem sibi iste, & iucundum ratione, consilio reddiderit. primum temporibus hibernis ad magnitudinem frigoribus, & a tempestatibus uim, ac imbrum praeclearum sibi hoc remedium comparat. urbem Syracusas elegerat: cuius hic situs, atque haec natura esse loci, caeliq. dicitur, ut nullus unquam dies tam magnus, turbulentaq. tempestas fuerit, quin aliquo tempore solis eius diei homines uiderent. hic ita uiuebat iste bonus imperator hibernis mensibus, ut eum non facile nullo modo extra tectum, sed ne extra tectum quidem quisquam uideret. ita diei breuitas conuiujs, noctis longitudo stupris, & flagitijs conterebatur. cum autem uer esse coeperat, cuius initium iste non a Fauonio, neque ab aliquo astro notabat, sed cum rosam uiderat, tunc incipere uer arbitrabatur: dabat se labori, atque itineribus: in quibus usque eo se praebat patientem, atque impigrum, ut eum nemo unquam in equo sedentem uideret. nam, ut mos fuit Bythyniae regibus, leetica octophoro ferebatur: in qua puluinus erat perlucidus, Melite: si rosa factus. ipse autem coronam habebat unam in capite, alteram in collo: reticulumq. ad naves sibi admouebat tenuissimo lino, minutisq. maculis, plenum rosae. sic confecto itinere, cum ad aliquod opidum uenerat, eadem leetica usque in cubiculum deferrebat. eo ueniebant Siculorum magistratus, ueniebant equites. id quod ex multis iuratis audistis: controuersiae secreto deferrebantur: paullo post palam decreta auferrebantur. deinde, ubi paullisper in cubiculo, pretio, non acquitate iura descripsit; Veneri iam, & Libero reliquum tempus debere arbitrabatur. Quo loco mihi non praetermittenda uidetur praecleari imperatoris egregia ac singularis diligentia. nam scitote esse opidum in Sicilia nullum, ex ijs opidis, in quibus praetores consistere, & conuentum agere solent, quo in opido non isti ex aliqua familia non ignobili delecta ad libidinem mulier esset. itaque non nullae ex eo uero in conuiujs adhibebantur palam: si quae castiores erant, ad tempus ueniebant, lucem, conuentumq. uitabant.

erant autem conuiuia cum illo silentio praetorum, atque imperatorum, neque eo pudore, qui in magistratum conuiujs uersari solet. sed cum maximo clamore, atque conuicio non numquam etiam res ad manus, atque ad pugnam ueniebat. iste enim, praetor seuerus, ac diligens, qui populi R. legibus numquam paruisset, illis diligenter legibus, quae in poculis ponebantur, obtemperabat. itaque erant exitus eiusmodi, ut alius inter manus e conuiuio, tamquam e proelio, auferretur, alius tanquam occisus relinqueretur, plerique fusi sine morte, ac sine ullo sensu iacerent; quibus ut, cum adspexisset, non se praetoris conuiuium, sed ut Cannensem pugnam nequitiae uidere arbitraretur. Cum uero aestas summa esse iam coeperat; quod tempus omnes Siciliae semper praetores in itineribus consumere consueuerunt; propterea quod tum putant obeundam esse maxime prouinciam, cum in areris frumenta sunt; quod & familiae congregantur, & magnitudo seruitij perspicitur, & labor operis maxime offenditur, & frumenti copia commonet, tempus anni non impedit: tum, inquam, cum concursant ceteri praetores, iste nouo quodam ex genere imperator, pulcherrimo Syracusarum loco statua sibi castra faciebat. nam ipso aditu, atque ore portus, ubi primum ex alto sinus ad urbem ab littore inflectitur, tabernacula carbaseis intenta uelis collocabat. huc ex illa domo praetoria, quae regis Hieronis fuit, sic emigrabat, ut per eos dies nemo istum extra illum locum uidere posset. in eum autem ipsum locum aditus erat nemini, nisi qui aut socius, aut minister libidinis esse posset. huc omnes mulieres, quibuscum iste consueuerat, conueniebant: quarum, incredibile est, quanta multitudo fuerit Syracusis. huc homines digni istius amicitia, digni uita illa, conuiujsq. ueniebant. inter eiusmodi uiros, ac mulieres adulta aetate filius uersabatur: ut eum, etiam si natura a parentis similitudine abriperet, consuetudo tamen, ac disciplina patri similem esse cogeret. huc Tertia illa, perducta per dolam, atque insidias ab Rhodio tibicine, maximas in istius castris effecisse turbas dicitur; cum indigne pateretur uxor Cleomenis Syracusani, nobilis mulier, itemq. Aeschryonis honesto loco nata, in conuentum suum mimi Thiodori filiam uenisse. iste autem Hannibal, qui in suis castris uirtute putaret oportere, non genere, certari, sic hanc Tertiam dilexit, ut eam secum ex prouincia exportaret. Ac per eos dies, cum iste cum pallio purpureo, talariq. tunica uersaretur in conuiujs muliebribus, non offendebantur homines in eo, neque moleste ferebant, abesse a foro magistratum, non ius dici, non iudicia fieri: lucum illum litoris percipere totum mulierum uocibus, cantuq. symphoniae, in foro silentium esse summum causarum, atque iuris, non ferebant homines moleste. non enim ius abesse uidebatur a foro, neque iudicia, sed uis; & crudelitas, & bonorum acerba, atque indigna direptio.

EXPLA-

## EXPLANATIO

**Q**UAE **MAXIMI** Fabij Cunctatoris. **SOLEM** eius diei scribit idem de Alexandria Ammianus Marcellinus lib. XXII. **EQVITES ROMANI** qui negotiabantur in Sicilia. **AESTAS** summa cum summus calor est, infra. **CONSVBERAT**, rem habuerat. Plautus in Cist. En umquam cum cuiquam uiro, consueuisti? Ibidem: Consuetudine coepi amare ego contra illum, atque ille me. In Pseu. Nunc nostri amores, amores, consuetudines. **VIRITUTE** putaret oportere, non genere certari. Hannibalem suos milites ad proelium his uerbis adhortantem Ennius inducit:

Hofsem qui feriet, mihi erit Carthaginensis,  
Quisquis erit.

## ORATIO

**H**UIC tu igitur imperatorem esse defendis, Hortensius? huius furta, rapinas, cupiditatem, crudelitatem, superbiam, scelus, audaciam, rerum gestarum magnitudine, atque imperatoris laudibus tegere conaris? hic se licet est metuendum, ne ad exitum defensionis tuae uetus illa Antoniana dicendi ratio, atque auctori- tas proferatur: ne excitetur Verres, ne denudetur a pectore, ne cicatrices populi Romani adspiciat, ex mulierum morsu uestigia libidinis, atque nequitie dii faciant, ut rei militaris, ut belli mentionem facere audeas: cognoscantur enim omnia istius aera illa uetera: ut, non solum in imperio, uerum etiam in stipendijs qualis fuerit, intelligaris. renouabitur prima illa militia cum iste e foro abduci, non, ut ipse praedicat, perduci solebat. aleatoris Placentini castra commemorantur: in quibus cum frequens fuisset, tamere aere dirutus est. multa eius in stipendijs damna profertur: quae ab isto aetate frustra dissoluta, et compensata sunt. Iam uero, cum in eiusmodi patientia turpitudinis, aliena, non sua satietate, obdurisset, qui uir fuerit, quot praesidia, quam munita, pudoris, et pudicitiae, uir, et audacia ceperit, quid me arimet dicere, aut coniungere cum istius flagitio cuiusquam praeterea dederis? non faciam, iudices: omnia uetera praetermittam. duo sola reuera sine cuiusquam infamia ponam, ex quibus coniecturam facere de omnibus possis: unum illud, quod ita fuit illustre, notumque omnibus, ut nemo tam rusticanus homo L. Lucullo, et M. Cotta eos Romam ex illo municipio uadimonij a se auenerit, qui sciret iura omnia populi Romani, atque arbitrio Chelidonis meretriculae gubernari: alterum, quod, cum paludatus exisset, uotaque pro imperio suo communi que populi Romani nuncupasset, noctu, stupri causa, lectica in urbem introferri solitus est ad mulierem, nuptam, uni propositam omnibus, contra fas, contra auspicia, contra omnes diuinas, atque humanas religiones. O dii immortales, quid interest inter mentes hominum, et cogitationes. ita mihi meam uoluntatem, spemque reliquae uitae uestra, populi que Romani existimatio comprobet, ut ego, quos adhuc mihi magistratus populi Romani mandauit, sic eos accepi, ut me omnium officio, uel obstringi religione arbitrarer. ita quaestor sum factus, ut mihi honorem illum tum non solum

datum, sed etiam creditum, ac commissum putarem. sic obtinui quaesturam in provincia Sicilia, ut omnium oculis in me unum coniectos arbitrarer; ut me, quaesturamque meam quasi in aliquo orbis terrae theatro uersari existimarem; ut omnia semper, quae in uicinis uideantur esse, non modo his extraordinarij cupiditatibus, sed etiam ipsi naturae, ac necessitati denegarem. nunc tum designatus aedilis: habeo rationem, quid a populo Romano acceperim: mihi ludos sanctissimos maxima cum caeremonia Cereri, Libero, liberaeque faciendos, mihi Floram matrem populi, plebi que Romanorum celsitate placandam, mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate, ac religione Ioui, Iunoni, Mineraeque esse faciendos, mihi sacerarum aedium procuracionem, mihi totam urbem tuendam esse commissum: ob earum rerum laborem, et sollicitudinem fructus uos datos, antiquiorem in senatus sententiae dicendae locum, togam praetextam, sellam curulem, ius imaginis ad memoriam, posteritatemque prodendam. ex his ego rebus omnibus, iudices, ita mihi deos omnes propitios esse uelim, ut, tamesi mihi incundissimus et si bonos populi, tamen nequaquam tantum capio uoluptatis, quantum sollicitudinis et laboris, ut haec ipsa aedilitas, non quia necesse fuerit, alieni candidato data, sed, quia se oportuerit, recte collocata, et iudicio populi digno in loco posita esse uideatur. Tu, cum esses praetor renunciatus, quoquo modo, (mitto enim, et praetereo, quid tum sit actum) sed cum esses renunciatus, ut dixi, non ipsa praekonis uoce excitatus es, qui te toties seniorum iuniorumque centurijs illo honore affici pronunciant, ut hoc putares, aliquam reip. partem tibi creditam et annuum tibi illum unum domo carendum esse meretricis? cum tibi sorte obtigisset, ut ius diceres, quantum negotij, quid oneris haberes, numquam cogitasti; neque illud rationis habuisti, si forte expergescere te posses, eam provinciam, quam tueri singulari sapientia, atque integritate difficile esset, ad summam stultitiam, nequitiamque uenisse. itaque non modo domo tua Chelidonem in praetura extrudere noluisti, sed in Chelidonem domum praeturae tuam totam detulisti.

## EXPLANATIO

**A**NTONIANA cum M. Antonius M. Aquiliu defendit: ut in huius orationis principio. **AERA** illa uetera: ueterem militiam, id est, ueteres libidines. lib. I. Lucretur indicia ueteris infamiae.

E FORO

E FORO quo se uirili toga sumpta, adolescentes ad oratores audiendos conferebant. **ABDVCI**, & ut obscenam libidinem pateretur. **PERDVCI** & ad meretrices: quod Verres ipse praedicabat, ut illam a se alteram longe turpioris libidinis suspicionem remoueret. **CVM frequens fuisset**, & hoc dicit, quia per infrequentiam adimi stipendium militibus solebat. Festus: Infrequens appellabatur miles, qui abest, ab fuit ue a signis. Plautus in Truc. ubi nihil det, pro infrequente cum mittas militia domū. Illud praedictus est, aberat, neque excusatus erat, infrequens dabatur. Gellius lib. XVI. cap. 4. Miles, cum die, qui praedictissimo, ob amorem mulieris infrequentem, empta dono dedit. **TAMEN aere dirutus est**, & ambiguo sensu. nam, cum uideatur dicere, Tamen ei stipendium est ademptum: hoc significat, alea Verre, quod habebat, perdidisse. Aere diruti milites, quibus ignominiae causa stipendium non daretur, appellabantur, ut ait Festus. hinc illuc Phil. XIII. Homo dirutus, diruptusq. **Q. Coelius**. **Eius in stipendiis** & ut, quantum damni alea, tantum lucri faceret Venere praepostera. **CREDITVM, ac commissum** & fidei, diligentiaeque mandatum. **OBTVNI quaesturam in provincia Sicilia**, & forte. **ANTIQUIOREM** & supra censoribus. **Ivs, imagines**, & Nonius legit, Imaginis, quod ita placet, si, Prodendum, infra legatur, hoc modo: Ius imaginis, ad memoriam, posteritatemq. prodendum. **QVID, tum sit actum**, & lib. V. **HS LXXX** millia diuisoribus, ut praetor renunciare, dedisti; **CCC** accusatori, ne tibi odiosus esset. **CENTVRIIS** & centuriatis comitijs maior magistratus, praetor, consul, censor, creabatur, Cicero, Linius, Dionysius, Gellius. **AD SVMMAM stultitiam, nequitiamq. uenisse**, & ad te omnium stultissimū, ac nequissimum.

O R A T I O

**SECVTA** provincia est: in qua tibi numquam uenit in mentem, non tibi iccirco fasces, & secures, & tantam imperij uim, tantamq. ornamentorum omnium dignitatem datam, ut earum rerum ui, & auctoritate omnia repagula iuris, pudoris, & officij perfringeres; ut omnium bona praedam tuam duceres; nullius res tua, nullius domus clausa, nullius uita saepa, nullius pudicitia munita contra tuam cupiditatem, & audaciam posset esse: in qua tute ita gessisti, ut, cum omnibus temere rebus, ad bellum fugitiuorum confugas: ex quo iam intelliges, non modo tibi nullam defensionem, sed maximam uim criminum exortam. nisi sorte Italici belli fugitiuorum reliquias, atque illud Thempsanum incommodum proferes: ad quod recens cum te peropportune fortuna obtulisset, si quid in te uirtutis, atque industriae fuisset; idem, qui semper fueras, inuentus es. Cum ad te Valentini uenissent, & pro his, homo disertus, & nobilis M. Marius loqueretur, ut negotium susciperes; ut, cum penes te praetorium imperium, ac nomen esset ad illam paruam manum extinguendam, ducem te, principemq. praeberes: non modo id refugisti, sed eo ipso tempore, cum esses in litore, Tertia illa tua, quam tecum deportabas, erat in omnium conspectu. ipse autem Valentini, ex tam illustri, nobiliq. municipio, tantis de rebus responsum nullum dedisti; cum esses tunica pulla, & pallio. Quid hunc proficiscentem quid in ipsa provincia fecisse existimatis, qui, cum iam ex provincia non ad triumphum, sed ad iudicium decederet, ne illam quidem infamiam fugerit, quam sine uoluptate capiebat? O diuina senatus frequentis in aede Bellonae admurmuratio. memoria tenetis, indices; cum aduesperasceret, & paullo ante esset de hoc Thempiano incommodo nunciatum, cum inueniretur nemo, qui in illa loca cum imperio mitteretur, dixisse quendam, Verrem esse non longe a Thempla; quam ualde uniuersi admurmurant, quam palam principes contra dixerint. & is, tot criminibus, testimonijq. conuictus, in eorum tabellis se sibi aliquam ponit, quorum

omnium palam, causa incognita, uoce damnatus est? Esto: nihil ex fugitiuorum bello, aut suspitione belli laudis adeptus est, quod neque bellum eiusmodi, neque belli periculum fuit in Sicilia, neque ab isto prouisum est, ne quod esset: at uero contra bellum praedonum classem habuit ornatam, diligentiamq. in eo singularem: itaque isto praetore praclare defensa provincia est. Sic de bello praedonum, sic de classe Siciliensi, indices, dicam, ut hoc iam ante confirmem, in hoc uno genere omnes in esse culpas istius maximas, auaritiae, maiestatis, demeritiae, libidinis, crudelitatis. haec dum breuiter expono, quaeso, ut fecistis adhuc, diligenter attendite. Rem naualem primum ita dico esse administratam, non uti provincia defenderetur, sed ut classis nomine pecunia quaereretur. superiorum praetorum consuetudo cum haec fuisset, ut naues ciuitatibus, certusq. numerus nauarum, militumq. imperaretur, maximae, & locupletissimae ciuitati Mamertinae nihil horum imperauisti. ob quam rem quid tibi Mamertini clam, dederint pecuniae, post uidebitur: ex ipsorum litteris, & testibus quaeremus. nauem uero Cybeam maximam, triremis instar, pulcherrimam, atque ornatissimam, palam aedificatam sumptu publico, sciente Sicilia, per magistratum, senatumq. Mamertinum, tibi datam, donatamq. esse dico. haec nauis onusta praeda Siciliensi, cum ipsa quoque esset ex praeda, simul cum iste decederet, appulsa Veliam est cum plurimis rebus, & ijs, quas ante Romam mittere cum ceteris furtis noluit, quod erant carissimae, maximeq. eum delectabant. eam nauem nuper e gomet uidi Veliae, multiq. alij uiderunt, pulcherrimam, atque ornatissimam, iudices, quae quidem omnibus, qui ea aspexerant, prospicere iam existimam, atque explorare, fugam domini uidebatur. Quid mihi hoc loco respondebis? nisi forte id, quod tametsi probari nullo modo potest, tamen dici quidem in iudicio de pecunijs repetundis necesse est, de tua pecunia coelare aedificatam esse eam nauem. aude hoc saltem dicere, quod necesse est. noli metnere, Hortensii, ne quaera,

qui

qui licuerit aedificare nauem senatori. anri quae rūt istae leges, & mortuae, quemadmodū tu soles dicere, quae uetant. fuit ista reprehensio quondam, fuit ista seueritas in iudicijs, ut istam rem accusator in magnis criminibus obijciendam putaret. quid enim tibi nauem opus fuit? qui si quo publice proficisceris, & praesidij, & uecturae causa, sumptu publico nauigia praebentur. priuatum autē nec proficisci quoquam potes, nec accersere res trāsmarinas ex ijs locis, in quibus tibi habere, mercari nihil licet. deinde cur quidquam contra leges parasti? ualeret hoc crimen in illa ueteri seueritate, ac dignitate reip. nunc non modo te hoc crimine nō arguo, sed ne illa quidem communi uituperatione reprehēdo. postremo tu tibi hoc numquam criminofum, numquā inuidiosum fore putasti, celeberrimo loco palā tibi aedificari onerariam nauem in ea prouincia, quam tu cū imperio obtinebas? quid eos loqui, qui uidebant, quid existimare eos, qui audiebant, arbitrabare in anem te nauem esse in Italiam deducturam? nauiculariam te, cum Romam uenisses, esse facturum? ne illud quidem quisquam poterat suspicari. te habere in Italia maritimum fundum, & ad fructus deportandos onerariam nauem comparare. eiusmodi de te uoluisti sermonem esse omnium, palam ut loquerentur, te illam nauem parare, quae praedam ex Sicilia deportaret, & quae ad ea furta, quae reliquisses, commearet? uerum haec omnia, si doces nauem de tua pecunia aedificatam, remitto, atque concedo. sed hoc, homo amentissime, non intelligis, priore actione ab ipsis Mamertinis, tuis laudatoribus, esse sublatam. nam dixit Heius, princeps ciuitatis, princeps istius legationis, quae ad tuam laudationem missa est, nauem tibi operis publicis Mamertinorum esse aedificatam, eiq. faciendae senatorem Mamertinū publice praefuisse. Reliqua est materies: hāc Rheginis, ut ipsi dicunt, (tamen si tu negare non potes) publice, quod Mamertini materiem non habent, imperauisti. Si, & ex quo fit nauis, & qui faciunt, imperio tibi tuo, non pretio, praesto fuerunt: ubi tandem istuc latet, quod tu de tua pecunia dicis impensum? At Mamertini in tabulis nihil habent. Primum uideo potuisse fieri, ut ex aerario nihil darent: (etenim uel Capitolium, sicut apud maiores nostros factum est, publice gratis coactis fabris, operisq. imperatis exaedificari, atque effici potuit) deinde id quoque perspicio, quod ostendam, cum istos produxero, ipsorum ex litteris, multas pecunias isti, erogatas in operū locationes falsas, atque inanes, esse perscriptas. nam illud minime mirum est, Mamertinos, a quo summum beneficium acceperant, quem sibi amiciorem, quam populo R. esse cognouerant, eius capiti litteris suis perpeccisse. sed si argumenta est, Mamertinos pecunias tibi non dedisse, quia scriptum non habent: sit argumento, tibi gratis constare nauem, quia, quid emeris, aut quid locaueris, scriptum proferre non potes. At enim iccirco nauem Mamertinis non imperasti, quod sūt foederati. Dij approbent. habemus hominem in fetialium manibus educatum, unum praeter ceteros in publicis religionibus foederum sanctum, & diligentem omnes, qui ante te praetores fuerunt, dedatur Mamertinis, quod ijs nauem contra pactiōnem foederis imperarint. sed tamen tu, sancte homo, ac religiose, cur Taurominitanis, item foederatis, nauem imperasti? an hoc probabis, in aequa causa populorum, sine pretio nauem

ius, & disparem conditionem fuisse? quid, si eiusmodi esse haec duo foedera duorum populorum, indices, doceo, ut Taurominitanis nominatim cautum, & exceptum sit foedere, ne nauem dare debeant; Mamertinis in ipso foedere sanctum, atque perscriptum sit, uti nauem dare necesse sit; istum autem, contra foedus, & Taurominitanis imperasse, & Mamertinis remisisse? num cui dubiū poterit esse, quin Verre praetore, plus Mamertinis Cybea, quam Taurominitanis foedus opitulatum sit? Recitentur foedera. Iste igitur tuo, quemadmodum ipse praedicat, beneficio, ut res indicat, pretio, atque mercede, minuiisti maiestatem reip. minuiisti auxilia populi R. minuiisti copias maiori uirtute, ac sapientia comparatas. sustulisti ius imperij, conditionem sociorum, memoriam foederis. qui ex foedere ipso nauem uel usque ad Oceanum, si imperassemus, sumptu periculoq. suo armatam, atque ornatam mittere debuerunt; hi, ne in fretis, ante sua tecta, & domos nauigarent, ne sua moenia, porruq. defederet, pretio abs te ius foederis, & imperij conditionem emerunt. quid censetis in hoc foedere faciūdo uoluisse Mamertinos impendere laboris, operae, pecuniae, ne haec biremis adscriberetur, si id ullo modo possent a nostris maioribus impetrare? nam, cum hoc munus imperaretur tam graue ciuitati, inerat nescio quo modo in illo foedere societatis quasi quaedam nota, seruitutis. quod tum recentibus suis officijs, integrare, nullis populi R. difficultatibus, a maioribus nostris foedere assequi uoluerunt, id nunc, nullo nouo officio suo, tot annis post, iure imperij nostri quotannis usur. dato, ac semper retento, summa in difficultate nauium, a C. Verre pretio assecuti sunt. At non hoc solum assecuti, ne nauem darent: eque nautam, eque militem, qui ante in classe, aut in praesidio esset, te praetore, per trionium Mamertini dederunt? Denique cum ex S. C. itemq. ex lege Terentia, & Cassia frumentum aequabiliter emi ab omnibus Siciliae ciuitatibus oporteret, id quoque munus leue, atque commune Mamertinis remisisti. Dices, frumentum Mamertinos non debere. Quo modo non debere? an, ut ne uenderent? non enim erat hoc genus frumētū ex eo genere, quod exigeretur, sed ex eo, quod emeretur, te igitur auctor es, & interprete, ne foro quidem, & commeatu Mamertini populū R. iuuare debuerunt. quae tandem ciuitas fuit, quae deberet? qui publicos agros arant, certum est, quid ex lege censoria dare debeant. cur ijs quidquam praetere a ex alio genere imperauisti? quid decimas uanis numquid praeter singulas decimas ex lege Hieronica debent? cur ijs quoque statuisi, quantum ex hoc genere frumenti empti darent? qui sunt immunes, ij certe nihil debent. at ijs non modo imperasti, uerum etiam quo plus darent, quam poterant, haec sexagena milia modium, quae Mamertinis remiseras, addidisti. nec hoc dico, ceteris non recte imperatum esse: Mamertinis, qui erant in eadem causa, & quibus superiores oranes praetores, item ut ceteris, imperarant pecuniam, qui ex S. C. & ex lege dissoluerant, his dico non recte remissum. At, ut hoc beneficium, quemadmodum dicitur, trabali clano figeret, cum consilio causam Mamertinorum cognoscit, & de consilij sententia, Mamertinis se frumentum non imperare, pronunciat. Audite decretum mercenarij praetoris ex ipsius commentaria; & cognoscite, quanta in scribendo grauitas,

grauitas, quanta in constituendo iure sit auctoritas. *Recita. COMMENTARIUM. Libenter ait se facere: itaque perscribit, quid, si hoc uerbo non esses usus, Libenter? nos uidelicet inuitum te quaestum facere putaremus. AC. DE. CONSILII. SENTENTIA. Praeclarum recitari consilium iudices, audistis, utrum uobis consilium recitari tandem praetoris uidebatur, cum audiebatis nomina, quae praedonibus improbiis, societatis, atque comitatus? En foederum interpretes, societatis praefores, religionis auctores, numquam in Sicilia frumentum publice est emptum, quin Mamertinis proportionem imperaretur, ante quam hoc delectum, praecclarumque consilium iste dedit, ut ab his nummos acciperet, ac sui similis esset. itaque tantum ualuit istius decreti auctoritas, quantum debuit eius hominis, qui, a quibus frumentum emere debuisset, iis decretum uenidisset. nam statim L. Metellus, ut isti successit, ex C. Sacerdotis & Sex. Peducaei instituto, ac litteris, frumentum Mamertinis imperauit. tunc illi intellexerunt, se id, quod a malo auctore emissum, diutius obtinere non posse.*

EXPLANATIO

**FUGITIUIORVM** reliquias? uicto iam Spartaco. **THEMPSANYM** incommodum? cum Thempsam opidum in Bruttijis residua Spartaci manus occupauit. **TE**? qui non longe aberas. **VALENTINI**? Thempsanorum uicinij. **PROFICISCENTEM**? in prouinciam. **NE ILLAM** quidem infamiam? cum esses in litore cum Tertia, & cum tunica pulla, & pallio, decedens iam ex prouincia, nec ad triumphum, sed ad iudicium. **CVM** inueniretur nemo,? non quod ire nemo uellet, sed quod in Italia cum imperio tunc nemo esset: extra ordinem autem decerni, qui contra fugitiuorum reliquias cum imperio mitteretur, dignitatis publicae non esse uideretur. quam ob causam facta Verri mentio est, quod is & cum imperio esset, nec longe a Thempsa, iam ex prouincia decedens. in quo senatus uniuersus, quid de Verre sentiret, admurmuratione ostendit: senatus uero principes, ut consulares, & praetorij, qui magistratum gerebant, palam contradixerunt. **TESTIMONIISQUE** recitatis actione prima. **FORVM**? senatorum. **QUORVM** omnium uoce? & qui admurmurauerunt, & qui palam contradixerunt. **CAVSSA** incognita,? testes enim Siculos non audierant, fama tantum ipsa mouebantur, & quod, quis esset Verres, quid in eo uirtutis, & industriae, ex urbana praetura cognouerant. **ESTO**? orationem ad aliam rem traducere, sic, ut coniungantur ea, quae diuersa sunt, uulgaris artificij non est, ut hoc loco: **ESTO**: deinde subiungitur, **At uero. Eiusdem artificij est illud lib. I. At credo in hisce solis rebus indomitas cupiditates, atque effrenatas habebat: ceterae libidines eius ratione aliqua, aut modo continebantur. quam multis istum ingenuis, quam multis matribus familias in illa tætra atque impura legatione uim attulisse existimatis? Simile illud lib. III. Priuatim hoc modo: quid publice? ciuitates quemadmodum tractatae sunt? Idem transitus agnoscitur lib. IV. At hoc solum Africani monumentum uiolasti. quid? à Tindaritanis non eiusdem Scipionis positum simulacrum Mercurij, pulcherrime factum, sustulisti? cum hoc genere similitudinem habet, quod scriptum est in ep. ad Appium: Atque haec domestica: quid illa tandem popularia? Hoc, quidquid est industriae, si quis negligit, nimirum is, quanti sit eloquentia, quamque partes in ea multae requirantur, simul negligere uidetur. **NEQUE** ab isto prouisum est, ne quod esset. ? potius opera data est, ut aliquid esset, liberatis post condemnationem Leonidae seruus. ex quo illa per ironiam: **Quis** dubitet, quin seruorum animos summa formidine oppræsserit, cum uiderent ea facilitate praetorem, ut ab eo seruorum, coniurationisq; damnatorum, uita, uel ipso carnifice in ternuncio, redimeretur? Atque illae duae causae ad fortunam referuntur, **Quod** neque bellum eiusmodi, neque belli periculum in Sicilia fuit: tertia Verri adscribitur, **Neque** ab isto prouisum est, ne quod esset. **ORNATAM**,? instructa remigibus, militibus, duce, rebus ad pugnandum necessarijs. **DEMENTIAE**,? hic certa crimina exponuntur: dementia uero crimen certum non est, sed foas quidam, & origo criminum. itaque uel tollendum censeo, uel immutandum, ne uerum tamen sine ueterum librorum auctoritate. nam quod alij legunt, **Maiestatis** deminutae, frigidum uidetur. breuis enim criminum enumeratio non modo maiorem uim, sed numerum quoque meliorem efficit. **REM naualem**? primo loco exponit auaritia crimen, sicuti ex quattuor criminibus auaritia primam proximè nominauit. **NIHIL horum imperauisti.**? lib. IV. Pro hisce rebus uacatio data ab isto sumptus, laboris, militiae, rerum denique omnium. **NAUEM** uero *Cybeam*? lib. IV. **TRIREMIS** instar,? quae biremis erat: ut infra. **DOMINI**? Verri, qui iudicio danatus in exsilium ibit, auctus ipsa nauis. **HABERE**,? nec habere, nec mercari senatori trans mare quidquam licuit. **IN OPERVM** locationes falsas,? ut eius pecuniae, quam in nauem erogauerant, quam, tuo parentis capiti, in tabulas referre noluerant, exitus aliquis inueniretur. **EIVS capiti** litteris suis peperisse. ? noluisse quidquam in tabulas referre, ne Verri nocerent. **TIBI gratis** constare nauem,? tua pecunia facta non esse. **Valet** argumentum: Si, quod scriptum non est, factum non est: ne tu quidem, quod scriptum proferre non potes, id factum esse dices, emptam uidelicet a te nauem illam esse, aut locatam Mamertinis. **DIU** approbent. ? modus laudandi. sed hic mera ironia est. quasi factum Verri eiusmodi non sit, ut a dijs approbari debeat. **NE HAEC biremis** adscriberetur,? animaduerte, quam supra nauem uocauit, hic biremem dici: ut nauis generale nomen sit. **EXIGERETVR**,? ex primis decumis: nam alteras emebat populus Romanus, & praeterea quod erat ciuitatibus aequaliter imperatum. lib. IV. **EX LEGE censoria**? lib. IV. Per paucae Siciliae ciuitates sunt bello a maioribus nostris subactae: quarum ager cum esset publicus populi R. factus, tamen illis est redditus. is ager a censoribus locari solet. **Legem** igitur censoriam, ipso interprete**

Cicerone, accipio pro locatione censoria. *IIS* qui publicos agros arant. *DECVMANI* ? aratores, qui populo Romano decumas Hieronica lege, nullo pretio, darent. *STATVISTI*, ? arbitrio tuo, in secundis decumis, quae uendebantur: cum id statuere Verres ipse non deberet. tot enim erant secundae decumae, quot primae. unde lib. III. Frumentum emere in Sicilia debuit Verres ex S. C. & ex lege Terentia & Cassia frumentaria. emundi duo genera fuerunt, unum certarum decumarum, alterum, quod praeterea ciuitatibus aequaliter esset distributum: illius decumani tantum, quantum ex primis decumis fuisset: huius imperati tritici modium DCCC millia. *QVI SVNT IMMUNES* ? tertium genus eorum, quos frumenti plus, quam debebant, aut etiam si nihil deberet, soluere coegit Verres. *TRABALI clauo figeret*, ? maxime confirmaret. *GYM consilio* ? cum sua cohorte. *EN FOEDERVM interpretes*. ? quia Verres ideo se Mamertinis nauem non imperasse dicebat, quod essent foederati. Apostrophe per indignationem expressa, ut illa aliquanto post: En, quod Tindaritani libenter praedicient. Et illa lib. I. En, cui tuos liberos committas: en memoria morui sodalis. *SOCIETATIS pactores*, ? digni, quibus utamur in pacifenda societate. *RELIGIONIS auctores*: ? qui foederum religionem tuentur. supra: Habemus hominem in fetialium manibus educatum, unum praeter ceteros in publicis religionibus foederum sanctum, & diligentem. *AC LITTERIS*, ? id enim in tabulas retulerant. *A MALO auctore* ? ab eo, cuius apud Metellum auctoritas nulla fuit.

## O R A T I O

**A**GE porro, tu, qui te tam religiosum existimari uoluisi interpretem foederum, cur Tauromitanis frumentum, cur Netinis imperasti? quarum ciuitatium utraque foederata est. ac Netini quidem sibi non defuerunt: nam, simul ac pronunciasti, libenter te Mamertinis quidem remittere; te adierunt, & eandem suam causam foederis esse docuerunt. tu aliter decernere in eadem causa non potuisti: pronuncias, Netinos frumentum dare non oportere: & ab his tamen exigis. Cedo mihi eiusdem praetoris litteras & rerum decretarum, & frumenti imperati, & rerum decretarum tritici empti. Quid potius in hac tanta, ac tam turpi inconstantia suspicari possumus, iudices, quam id, quod necesse est, aut isti a Netinis pecuniam, cum posceret, non datam, aut id esse actum, ut intelligerent Mamertini, bene se apud istum tam multa pretia, ac munera collocasse, cum idem alij iuris ex eadem causa non obtinerent? Hic mihi etiam audebit mentionem facere Mamertinae laudationis. in qua quam multa sint uulnera, quis est uestrum, iudices, qui intelligat? primum, in iudicijs. qui decem laudatores dare non potest, honestius est ei nullum dare quam illum quasi legitimum numerum consuetudinis non expleri. tot in Sicilia ciuitates sunt, quibus tu per triennium praefuisti: arguunt ceterae: paucae, & paruae, metu repressae, silent: una laudat. hoc quid est, nisi intelligere, quid habeat utilitatis uera laudatio? Sed tamen ita, Verres, prouinciae praefuisti, ut hac utilitate necessario tibi sit cendum. deinde, id quod alio loco ante dixi, quae est ista tandem laudatio, cuius laudationis legati principes & publice tibi nauem aedificatam, & priuatim se ipsos abs te spoliatos, expilatosque esse dixerunt? postremo quid aliud isti faciunt, cum te soli ex Sicilia laudat, nisi testimonio nobis sunt, te omnia sibi esse largitum, quae tu de rep. nostra detraxeris? Quae colonia est in Italia tam bono iure, quod tam immune municipium, quod per hos annos tam commoda uacatione sit usum omnium rerum, quam Mamertina ciuitas per triennium? soli, ex foedere quod debuerunt, non dederunt: soli, isto praetore, omnium rerum immunes fuerunt: soli, istius imperio, ea condicione uitae fuerunt, ut populo Romano nihil darent, Verri nihil denegarent. Verum, ut ad classem, quo ex loco sum digressus, reuertar: ac-

cepisti a Mamertinis nauem contra legem, remisisti contra foedera. ita in una ciuitate bis improbus fuisi; cum & remisisti, quod non oportebat; & accepisti, quod non licebat. exigere te oportuit nauem, quae contra praedones, non quae cum praeda nauigaret; quae defenderet, ne prouincia spoliaretur, non quae noua prouinciae spolia portaret. Mamertini tibi & urbem, quo furta undique portares, & nauem, qua exportares, praebuerunt: illud tibi opidum receptaculum praedae fuit: illi homines testes, custodesque furto: illi tibi & locum furtis, & furto uelliculum comparauerunt. itaque ne tunc quidem, cum classem auaritia, ac nequitia tua perdidisti, nauem Mamertinis imperare ausus es. quo tempore, in tanta inopia nauium, tantaque calamitate prouinciae, etiam si precario essent rogandi, tamen ab ijs impetraretur. reprimebat enim tibi & imperandi uim, & rogandi conatum praeclara illa non populo Romano reddita birem, sed praetori donata Cybea. ea fuit merces imperij, auxilium iuris, consuetudinis, foederis. habetis unius ciuitatis firmum auxilium, amissum, ac uenditum pretio: cognoscite nunc nouam praedandi rationem, ab hoc primu excogitatam. Sumptum omnem in classem frumento, stipendio, ceterisque rebus nauarcho suo quaeque ciuitas semper dare solebat. is neque, ut accusaretur a nauis, committere audebat, & ciuibus suis ratione referre debebat: in illo omni negotio non modo labore, sed etiam periculo suo uersabatur. erat hoc, ut dico, factitatum semper, nec solum in Sicilia, sed in omnibus prouincijs, etiam in sociorum, & Latinorum stipendio, ac sumptu, tum cum illorum auxilijs uti solebamus. Verres, post imperium constitutum, primus imperauit, ut ea pecunia omnis a ciuitatibus sibi adnumeraretur, ut is eam pecuniam tractaret, quem ipse praefecisset. Cui potest esse dubium, quam obrem & omnium consuetudinem ueterem primus immutari, & tantam utilitatem per alios tractandae pecuniae neglexeris, & tantam difficultatem cum crimine, molestiam cum suspitione susceperis? Deinde alij quaestus instituantur, ex uno genere nauali, uidete quam multi; accipere a ciuitatibus pecunias, ne nauitas darent; presio certo missos facere nauitas; missorum omnine stipendium lucrari; reliquis, quod deberet, non dare. haec

re. haec omnia ex ciuitatum testimonijs cognoscite.  
 Recita. TESTIMONIA. CIVITATVM. Hunc  
 hominem & bancine impudentiam, indices? hancine  
 audaciam? ciuitatibus pro numero militum pecuniarum  
 summas describere; certum pretium, sexcenos num-  
 mos, nauarum missioni constituere, quos qui dederat,  
 commeatum totius aestatis abstulerat. iste, quod &  
 nauae nomine pro stipendio, frumetoq. acceperat, lucra  
 batur. ita quaestus duplex unius missione fiebat. atq.  
 haec domo amentissimus in tanto praedonum impetu,  
 tantoq. periculo provinciae sic palam faciebat, ut & ip-  
 si praedonis scirent, & tota provincia testis esset.  
 Cum, propter istius hanc tantam auaritiam, nomine  
 classis essent in Sicilia, re quidem uera naues inanes,  
 quae praedam praetori, non quae praedonibus metum  
 afferrent: tamen, cum P. Caeserius, & P. Tadius decem  
 nauibus his semiplenis nauigarent, nauem quamdam pi-  
 ratarum, praeda refertam, non ceperunt, sed abduxerunt,  
 onere suo plane captam, atque depressam. erat  
 ea nauis plena iuuentutis formosissimae, plena argen-  
 ti facti, atque signati multa cum stragula ueste. haec  
 una nauis a classe nostra non capta est, sed inuenta ad  
 Megaridem: qui locus est non longe a Syracusis. quod  
 ubi isti nunciatum est; tametsi noctu cum mulierculis  
 iacebat ebrius, erexit se tamen, & statim quaestori,  
 legatoq. suo custodes misit complures. ut omnia sibi in-  
 tegra quamprimum exhiberentur. ut omnia sibi in-  
 Syracusas: expectatur ab omnibus: supplicium sumi  
 de captiuis putatur. iste, quasi praeda sibi aduecta,  
 non praedonibus captis, si qui senes, aut deformes  
 erant, eos in hostium numero ducit: qui aliquid for-  
 mae, aetatis, artificijq. habebant, abducit omnes: non  
 nullos scribis suis, filio cohortiq. distribuit: sympho-  
 niacos sex cuida amico suo Romam muneri misit: nox-  
 illa tota exinanenda naui consumitur. archipiratam ip-  
 sum uidet nemo, de quo supplicium sumi oportuit: bo-  
 dieq. omnes sic habent persuasum, (quid eius sit, uos  
 coniectura quoque assequi debetis) istam clam a pirata-  
 ris ob hunc archipiratam pecuniam accepisse. conie-  
 ctura est: index esse bonus nemo potest, qui suspicio-  
 ne certa non mouetur. hominem nostis, consuetudi-  
 nemq. omnium tenetis; qui duces praedonum, aut ho-  
 stium ceperit, quam libenter eum palam ante oculos  
 omnium esse patiat. hominem in tanto conuentu Sy-  
 racusis uidi neminem, indices, qui archipiratam cap-  
 tum uidisse se diceret, cum omnes ut mos est, con-  
 currerent, quaerent, uidere ceperent. quid accidit,  
 cur tantopere iste homo occultaretur, ut eum ne casu  
 quidem quisquam adspicere posset? homines maritimi  
 Syracusis, qui saepe istius crucis nomen audissent, saepe  
 pae timuissent, cum eius cruciatus, atque supplicio par-  
 scere oculos, animumq. exsaturare uellent; potestas ad-  
 spiciendi nemini facta est. Unus plures praedonum du-  
 ces uiuos cepit P. Seruilius, quam omnes antea. ec-  
 quando igitur isto fructu quisquam caruit, ut uidere  
 piratam captum non liceret? at contra, quacumque  
 iter fecit, hoc iucundissimum spectaculum omnibus uin-  
 ctorum, captorumq. hostium praebat: itaque ei con-  
 cursus undique fiebant, ut non modo ex ipsi opidis, qua  
 ducebantur, sed etiam ex finitimis uisendi causa con-  
 uenerunt. Ipse autem triumphus quamobrem omnium  
 triumphorum gratissimus populo R. fuit, atque iu-  
 cundissimus? quia nihil est uictoria dulcius, nullum est

autem testimonium uictoriae certius, quam, quos saepe  
 pe metueris, eos te uinctos ad supplicium duci uidere.  
 Hoc tu quamobrem non fecisti? quamobrem ita iste pi-  
 rata celatus est, quasi eum adspicere nefas esset?  
 quamobrem supplicium non sumpsisti? quam ob caus-  
 sam hominem reseruasti? e quem audisti in Sicilia ante  
 captum archipiratam, qui non securi percussus sit?  
 unum cedo autorem tui facti: unius profer exemplum.  
 uinum tu archipiratam seruabas, quem per trium-  
 phum, credo quem ante curram tuam duceres. neque  
 enim quidquam erat iam reliquum, nisi, ut, classe po-  
 puli R. pulcherrima amissa, provinciaq. lacerata, trium-  
 phus naualis tibi decerneretur. Age porro, custodiri  
 duces praedonum nouo amore, quam securi ferri om-  
 ni exemplo, magis placuit. quae sunt istae custodiae?  
 apud quos homines? quemadmodum est asservatus?  
 Lautumias Syracusanas omnes audistis, plerique no-  
 stis. opus est ingens, magnificum, regum, ac tyranno-  
 rum: totum est ex saxo in mirandam altitudinem de-  
 presso, & multorum operis penitus, exciso. nihil tam  
 clausum ad exitus, nihil tam saeptum undique, nihil  
 tam tutum ad custodias ne fieri, nec cogitari potest.  
 inbas Lautumias, si qui publice custodiendi sunt,  
 etiam ex ceteris opidis Siciliae deduci imperantur. eo  
 quod multos captiuos ciues R. coniecerat, & quod eo-  
 dem ceteros piratas contrudi imperarat; intellexit,  
 si hunc subditicium archipiratam in eandem custodiam  
 dedisset, fore, ut a multis, illis in Lautumias, uerus  
 ille dux quaereretur. itaque hominem huic optima-  
 turissimaeq. custodiae non audeat committere: denique  
 Syracusas totas timet & amandat hominem, quo? Li-  
 lybaeum fortasse? uideo: tamen homines maritimos  
 non plane formidat. minime, iudices. Panbormum  
 igitur? audio: quamquam Syracusis, quoniam in Sy-  
 racusano captus erat, maxime, si minus supplicio af-  
 fectus, at custodiri oportebat. ne Panbormum quidem.  
 quid igitur? quo putatis? ad homines a piratarum me-  
 tu, & suspitione alienissimos, a nauigando, rebusq.  
 maritimis remotissimos, ad Centuripinos, homines ma-  
 xime mediterraneos, summos aratores, qui nomen  
 numquam timuissent maritimi praedonis, unum te praed-  
 tore horruissent. A pronium terrestrem archipiratam,  
 & ut quiuis facile perspiceret, id ab isto actum esse,  
 ut ille suppositus facile & libenter se illum, qui non  
 erat, esse simularet; imperat Centuripinis, ut is uictu-  
 m, ceterisq. rebus quam liberalissime, commodissimeq. ha-  
 beatur. Interea Syracusani, homines periti, & hu-  
 mani, qui non modo ea, quae perspicua essent, uidere,  
 uerum etiam occultis suspicari posset, habebant ratio-  
 nem omnes quotidie piratarum, qui securi ferirentur;  
 quam multos esse oporteret, ex ipso nauigio, quod erat  
 factum sex remorum numero, coniciebant. iste, quod  
 omnes, qui artificij aliquid habuerant, aut formae,  
 remouerat, atque abduxerat; reliquos si, ut consue-  
 tudo est, uniuersos ad pallum alligasset, clamorem popu-  
 li fore suspicabatur; cum tanto plures adducti essent, quam  
 relictis propter hanc causam cum instituisset alios alio te-  
 pore producere; tamen in tanto conuentu nemo erat,  
 quin ratione, numerumq. haberet, & reliquos non desi-  
 deraret solum, sed etiam posceret, & flagitaret. cum  
 maximus numerus deesset; tum iste, homo nefarius, in-  
 eorum locum, quos domum suam de piratis abduxerat,  
 substituit, & supponere coepit ciues R. quos in car-  
 cerem.





verem antea coniecerat. quorum alios Sertorianos milites fuisse insinulabat, & ex Hispania fugientes ad Siciliam appulos esse dicebat: alios, qui a praedonibus erant capti, cum mercaturas facerent, aut aliam ob causam nauigarent, sua uoluntate cum piratis fuisse arguebat. itaque alij ciues R. ne cognoscerentur, capitibus obuolutis e carcere ad palum, atque ad necem rapiabantur: alij, cum a multis ciuibus R. recognoscerentur, ab omnibus defenderentur, securi feriebantur. quorum ego de acerbissima morte crudelissimoq. cruciatu dicam, cum eum locum tractare eoepero; & ita dicam, ut, si me in ea queromonia, quam sum habiturus de istius crudelitate, & de ciuium R. indignissima morte, non modo uires, uerum etiã uita deficiat, id mihi praeclearum, & incundum putem. haec igitur est gesta res,

haec uictoria praeclara: myoparone piratico capto, duos liberatus: symphoniaci Romanam missi: formosi homines, & adolescentes, & artifices, domum abducti: in eorum locum, & ad eorum numerum ciues R. hostilem in modum cruciati, & necati: omnes uestis ablata: omne aurum, & argentum & ablatum. & auersum. At quemadmodum ipse se induit priore aetione? qui tot dies tacuisset repente in M. Annij, hominis splendidissimi, testimonio, cum in ciues R. dixisset, & archipiratam negasset securi esse percussum exsiluit, conscientia sceleris, & furore ex maleficijs concepto excitatus: dixit se, quod sciret sibi crimini datum iri, pecuniam accepisse, neque de uero archipirata sumpsisse supplicium, ideo securi non percussisse: domi esse apud sese archipiratas dixit duos.

## EXPLANATIO

**T**RITICI empti. & fortasserectius, Et tritici empti: ut illud proxime dictum, Rerum decretarum, & frumenti imperati. **INCOSTANTIA** & cum idem & pronunciarit, Netinos frumentum dare non oportere; & ab iisdem tamen exegerit. **VI IN IUDICIJS**, & subijci debuit, Sic: sed eius particula uim inclusit Cicero in sententiam proxime sequentem. qua si diceret: Sic, cum tot in Sicilia ciuitatis sint, quae arguant, paucae & paruae, quae sileant, una, quae laudet; quid hoc est, nisi, &c. **DECEM LAUDATORES** & id comprobat Pedianus. decem enim, qui Scaurum, a Cicerone defensum, laudauerint, enumerat, nouē consulares, unum adolescentem Faustū, Scauri fratrem, Sullae filium. **VERA LAUDATOR** & quae multarum testimonio ciuitatum constat. **HAC UTILITATE** & multarum laudantium ciuitatum. **LEGATI PRINCIPES** & Heium significat, a quo Verres Cupidinē, Hercule, Canephoras abstulerat. **LIB. VI. TAM BONO IURE**, & diuersa coloniarū genera diuerso iure, id est aliae alijs, pro suis quaeq. meritis, immuniores fue-  
re. **REMISISTI** & quā ex foedere debebant populo Romano. **CYBEA**, & iam non biremis, quae ex foedere debebatur, sed triremis instar, quo plura posset exportare, Cybea propter latitudinem dicta. **AVXILII**, & quod ab ijs debebatur. **LYRIS**, & ita enim iure consuetudine, foedere inter eos & populum Romanum conuenerat. **VI SOLEBAMUS** & non quod hoc tempore auxilij eorum non uterentur: sed ait, **VI SOLEBAMUS**, tum cum assidue bella gerebantur. **NEGLEXERIS**, & negligere uisus es: sed nō neglexisti, qui pecuniam, quem tractandae pecuniae praefecisses, eandem ad te pecuniam peruenturam scires. **DIFFICULTATEM** & quia tuo periculo tractaretur illa pecunia ab eo, quem ipse praefecisses. supra: In illo omni negotio non modō labore, sed etiam periculo suo uersaretur. **CVM CRIMINE**, & & difficultas erat in tractanda pecunia; cuius quaecūque iactura fieret, ab eo sarciri debebat, cui esset a ciuitatibus adnumerata: & cum difficultate crimen coniungebatur: quia Verres eius pecuniae partem ad se ipsum auertebat. **HVNC CINE HOMINEM** & & subaudi, reperiri potuisse? **DESCRIBERE**: & quantum quaeque solueret: ut in ep ad Cassium, **IMMUNITATES** dantur: pecuniae maximae describuntur. id est, quantum cuique donaretur. **SEXCENTENOS NUMMOS**. & scutatos XVII cū dimidio. Postulat analogiae ratio, sexcentos, ut quingenos, septingenos, & similia. **COMMEATVM** & quod pro uictu dabatur quod erat ipsum quoque lucrū Verres. **ABSTULERAT**. & illo sumptu Verrem leuabat. **QUOD ET NAUTAE NOMINE**, & particula, Et, alios quaestus indicat, praetor eos, quos missorum nauatarum nomine Verres faciebat: quos autē quaestus: quos supra dixit: primū ex tractanda pecunia a ciuitatibus accepta: deinde, cū a ciuitatibus, ne nauatas darent, pecunias acciperet: postremo, cum id, quod deberet, nauatis non daret. **PRO STIPENDIO**, & sexcentos nummos supra: Pretio certo missos facere nauatas, missorum omne stipendium lucrari. **FRUMENTOQ.** & commeatu totius aetatis. **QUAESTVS DUPLEX** & pro stipendio, & frumento. **PRAEDAM** & quaestum. praedebatur, enim e socijs Verres, cum ex praedonibus deberet. **P. CAESSETVS**, & **P. TADIVS** & Caesetius quaestor Tadius legatus, ut lib. II. **ARGENTI FACTI ATQUE SIGNATI**, & argentum factū, uasa sunt, quaeq. ornamenta & magnificentia gratia elaborantur: signatū, pecunia: signū enim aliquod & erat, & est hodie in nummis. **STRAGULA ueste**. & qua lecti, mensae, parietesq. sternuntur. **NOCTVM CVM MULIERCULIS IACEBAT EBRIVS**, & pro, Noctu, sunt qui legant, In acta, non habita ratione temporis quo Verres in acta, id est in litore fuit. nā aetate summa aliquanto post captam piratarum nauem in litus cum mulierculis se contulit. quod infra perspicuum est. **EOS IN HOSTIUM NUMERO DUCIT**: & extremo supplicio afficit. sic ueteres loquebantur, ut caedis mentionem uitarent. infra: In hostium numero, locoq. ducimini. Caesar lib. I. bel. Gall. Reductos in hostium numero habuit. **QUID EIVS SIT**, & sensum obscurat praecisa locutio. sed exemplorum similitudo lucem affert. Quid eius sit, ualeat, quid eius rei sit, uera ne sit ea res, an falsa. sic Terentius in Eun. Quidquid huius feci, uirginis causa feci. Vbi Donatus: Quidquid huius: rei, subaudiendum est: quod eum exclusi foras. Idem in Heant. At mihi fidem apud hunc est, nihil me istius facturum, parer. Ibidem: Quidquid ego huius feci, tibi prospexi, & stultitiae tuae. In Hec. Quod te Aesculapi, & te Salus, ne quid sit huius, oro. Nostes autem

autem in ep. ad Att. lib. XVI. Non uideo sciturum me, quid eius sit, ni statim aliquid litterarum. Plautus in Aul. plene dixit: Ibo intro, ut, quid huius sit rei, sciam. **VERVS** & non suppositus. **VIDEO**: & assentientis uerbum, ut infra, Audio. **HOMINES maritimos**. & Lilybaetanos. **NON plane reformidat**. & qui Syraculas totas timuit, is si Lilybaeum archipiratam mittit, Lilybaetanos non timet, qui tamen, item ut Syracusani homines maritimi sunt. quo minus uerisimile uidetur, quem Verres custodiri noluit Syraculis, eum Lilybaeum esse misum. **ILLE suppositus** & iam igitur Verres accepta pecunia, archipiratam dimiserat. **PERITI** & usum rerum. non barbari, & indocti, sed moribus & litteris exculti. **SEX REMORVM** & myopatonem infra uocat. cuius in singulis transtris cum semi remiges essent, maximum & celerissimum fuisse, licet intelligere. **INDUIT** & indicauit: incurrit, quo minime uolebat. **V** sita tus loquendi modus, Induere se, pro, in difficultatem sua sponte per imprudentiam conijcere.

O R A T I O

**O** CLEMENTIAM populi R, seu potius patientiam miram, ac singularem. ciuem R securi esse percussum, Annus eques R, dicit: taces. archipiratam negat: faceris si in eo gemitus omnium, & clamor, cui tamen a praesenti supplicio tuo se continuit populus R. & repressit, & salutis tuae rationem iudicium seueritati referuauit. **Qui** sciebas tibi crimini datum iri? quā obrem sciebas? quam obrem etiam suspicabare? iam acicū habebas neminem. si haberes, tamen nō ita uixeras, ut mecum iudicij propositū habere deberes. an te, id quod fieri solet, conscientia timidum, suspiciosumq. faciebat? qui igitur, cum esses in imperio, iam tum iudicium, & crimen horrebas; reus, cum tot testibus coarguare, potes de damnatione dubitare? **Verum**, si crimen hoc metuebas, ne quis abs te suppositum esse diceret, qui pro archipirata securi feriretur: utrum tandem tibi ad defensionem firmissis fore putasti, in iudicio, coactū, atque efflagiatu meo, producere ad ignotos, tūto post, eum, quem archipiratam esse diceres, an recenti re, Syraculis apud notos, inspectante Sicilia paene tota, securi ferire? uide, quid interstet, utrum faciendum fuerit. in illo reprehensio nulla esse potuit: hic defensio nulla est itaque illud semper omnes fecerunt: hoc quis ante te, quis praeter te fecerit, quaero. **Piratas** uinum tenuisti: quem ad finem? dum cum imperio fuisti: quam obrem? quam ob causam? quo exemplo? cur tam diu? cur inquam, ciuibus R, quos piratae ceperant, securi statim percussis, ipsi piratis lucis usuram tam diuturnam dedisti? **Verum** esto: sit tibi illud liberum omne tempus, quod cum imperio fuisti: etiam ne priuatus? etiam ne reus? etiam ne paene damnatus hostium duces priuata in domo retinisti? unum, alterum meo sem, prope annum denique domi tuae piratae, a quo tempore capti sunt, quoad per me licitum est, fuerunt, hoc est quoad per M. Aciliū Glabronē licitum est; qui, postulante me, produci, atque in carcere condi imperant. quod est huiusce rei ius? quae consuetudo? quod exemplum? hostem acerrimum, atque infestissimum populi R, seu potius communem hostem gentium, nationumq. omnium, quisquam omnium mortalium, priuatus, intra moenia, domi suae, retinere poterit? **Quid**, si pridie, quam a me tu coactus es conficere, ciuibus R, securi percussis, praedonum duces uinere, apud te habitare; si, inquam, pridie domo tua profugisset; si aliquam manum contra populum R, facere potuisset; quid diceres? apud me habitauit: mecum fuit: ego illum ad iudicium meum, quo facilius crimen inimicorum diluere possem, uinum, atque incolumem referuauit. Ita ne uero? et tu tua peri-

cula communi periculo defendes? tu supplicia, quae debentur hostibus uictis, ad tuum, non ad populi R, triumphum conferres? & populi R, hostis priuatis custodis afferuabitur? at etiam qui triumphant, eoq. diutius uos hostium duces seruant, ut, his per triumphum uictis, pulcherrimum spectaculum, fructumq. uictoriae populus R, per spicere possit; tamen, cum de foro in Capitolium curram flectere incipiunt, illos duci in carcerem iubent; idemq. dies & uictoribus imperij, & uictis uitae finem facit. **Est** nunc, credo, cuiquam dubium, quin tu id commissurus non fueris: praesertim cum statuisses, ut ais, tibi causam esse dicendam: ut ille archipirata non potius securi feriretur, quam, quod erat ante oculos positum, tuo periculo uiucret. si enim esset mortuus; tu, qui crimen ais te metuisse, quaero, cui probares? cum constaret istum Syraculis ab nullo uisum esse archipiratam, ab omnibus desideratum; cū dubitaret nemo, quin abs te pecunia liberatus esset; cum uulgo loquerentur, suppositum in eius locū, quem pro illo probare uelles; cum tute falsus esses, te id crimen tanto ante metuisse: si eum diceres esse mortuum, quis te audiret? nunc cum uinū istum nescio quem produces, tamen ne id credi uoles? quid, si aufugisset, si uinclarupisset, ita ut Nico ille nobilissimus pirata fugit, quem P. Seruilius, qua felicitate ceperat, eadem recuperauit; quid diceres? **Verum** hoc erat: si ille semel uerus archipirata securi percussus esset, pecuniam illam non haberes: si hic falsus esset mortuus, aut profugisset, non esset difficile alium in suppositi locum supponere. **Plura** dixi, quam uolui, de illo archipirata: & tamen ea, quae certissima sunt huius criminis argumenta, praetermisi. si uolo enim mihi totum esse crimē hoc integrum, est certus locus, certa lex, certum tribunal, quo hoc referretur. **Hac** tanta praeda auctus, mancipijs, argento, ueste locupletatus, nibilo diligentior ad classem ornandam, milites reuocandos, alēdosq. esse coepit; cum ea res non solum prouinciae saluti, uerum etiam ipsi praedae esse posset, nam aestate summa, quo tempore ceteri praetores obire prouinciam, & concursare consueuerunt, aut etiam in tanto praedonum metu, & periculo ipsi nauigare, eo tempore ad luxuriam, libidinesq. suas domo sua regia, quae regis Hieronis fuit, qua praetores uti solent, contentus nō fuit: tabernacula, quemadmodū cōsueuerat tēporibus aestiuis, quod antea iam demonstrauit, carbaseis intenta uelis collocari iussit in littore: quod est litus in insula Syraculis post Arcthusae fontem, propter ipsū introitum atque ostium portus, amoeno sane, & ab arbitris remoto loco, hic dies aestiuos sexaginta praetor populi

Rictos, defensorq. provinciae sic iuxit, ut muliebria  
 quotidie conuiuia essent, uir accumberet nemo, prae-  
 ter ipsum, & praetextatum filium. tametsi recte sine  
 exceptione dixeram, uirum, cum isti essent, neminem  
 fuisse. nonnumquam etiam libertus Timarchides adbi-  
 bebatur: mulieres autem nuptae nobiles, praeter unam  
 mimi Isidori filiam, quam iste, propter amorem, ab  
 Rhodio tibicine abduxerat; Pippa quaedam uxor Ae-  
 febrionis Syracusani: de qua muliere plurimi uersus, q.  
 in istius cupiditatem facti sunt, tota Sicilia precelebra-  
 tur. erat Nice, facie eximia, ut praedicatur, uxor  
 Cleomenis Syracusani, hanc Cleomenes uir amabat. ue-  
 rum tamen huius libidini aduersari nec poterat, nec au-  
 debat: & simul ab isto donis beneficijs, q. plurimis de-  
 uinciebatur. illo autem tempore iste, tametsi ea est ho-  
 minis impudentia, quam nostis, ipse tamen, cum uir  
 esset Syracusis, uxorem eius parum poterat animo so-  
 luto, ac libero, tot in acta noctes ad dies secum habe-  
 re. itaque excogitat rem singularem. naues, quibus lo-  
 gatus praefuerat, Cleomeni tradit: classi populi R.  
 Cleomenem Syracusanum praeesse iubet, atque impe-  
 rat. hoc eo facit. ut ille non solum abesset a domo, tum  
 cum nauigaret; sed etiam libenter cum magno hono-  
 re, beneficioq. abesset; ipse autem, remoto, atque ab-  
 legato uiro, non liberior, quam ante, (quis enim um-  
 quam istius libidini obstitit?) sed paullo solutiore ta-  
 men animo secum illam haberet, si non tamquam ui-  
 rum, ac tamquam aemulum remouisset. Accipit na-  
 uem sociorum, atque amicorum Cleomenes Syracusa-  
 nus. quid primum aut accusem, aut querar, iudices?  
 Siculo ne homini legatis, quae storis praetoris deniq.  
 potestatem, honorem, auctoritatem dari? si te impe-  
 diebat ista conuiuiorum, mulierumq. occupatio; ubi  
 quae stores? ubi legati? ubi ternis denarijs aestimatum  
 frumentum? ubi muli? ubi tabernacula? ubi tot, tan-  
 taq. ornamenta magistratibus, & legatis a senatu po-  
 puloq. R. permissa, & data? denique ubi praefecti, &  
 tribuni tui? si Cuius R. dignus isto negotio nemo fuit;  
 quid ciuitates, quae in amicitia, fideq. populi R. per-  
 petuo manserant? ubi Segestana; ubi Centuripina ci-  
 uitas? quae tum officijs, fide, ueritate, tum etiam  
 cognatione populi R. non en attingunt. O dii immor-  
 tales, quid, si harum ipsarum ciuitatum militibus, na-  
 uibus, nauarchis Syracusanus Cleomenes iussus est  
 imperare? non omnis honos ab isto dignitatis, aequita-  
 tis, officij sublati est? Ecquod in Sicilia bellum gesi-  
 mus, quin Centuripinis socijs, Syracusanis hostibus  
 uteremur? atque haec oia ad memoria uerustatis, no ad  
 contumeliã ciuitatis referri uolo. itaque ille, uir clarissi-  
 mus, summusq. imperator, M. Marcellus, cuius uirtute  
 captae, misericordia cõseruatae sunt Syracusae, habitã  
 re in ea parte urbis, quae in insula est, Syracusanũ neminẽ  
 uoluit. hodie, inquam, Syracusanum in ea parte ha-  
 bitare non licet. est enim locus, quem uel pauci pos-  
 sunt defendere. committere igitur eum non fidelissimis  
 hominibus noluit: simul quod ab illa parte urbis nauibus  
 aditus ex alto est. quamobrem, qui nostros exercitus  
 saepe excluderant, ijs claustra loci committenda non  
 existimauit. Vide, quid intersit inter tuam libidinem,  
 maiorumq. auctoritatem; inter amorem, furoremq.  
 tuum, & illorum consilium, atque prudentiam. illi adi-  
 tum luoris Syracusanis ademerunt; tu maritimum im-  
 perium concessisti illi habitare eo loco Syracusanum,

quo naues accedere possent, noluerunt: tu classi, &  
 nauibus Syracusanum praeesse uoluiti quibus illi ur-  
 bis suae partem ademerunt; ijs tu nostri imperij parte  
 dedisti: et quoru socioru opera Syracusani nobis dicto  
 audiẽtes sũt, eos Syracusanis dicto audiẽtes esse iussisti.  
 Egre ditur Centuripina quadriremi Cleomenes e portu  
 sequitur Segestana nauis, Tyndaritana, Herbitensis,  
 Heraeliensis, Apolloniensis: Haluntina, praecleara  
 classis in speciem, sed inops, & infirma propter dimis-  
 sionem propugnatorum, atque remigum. tãdiu in im-  
 perio suo clessem iste praetor diligens uidit, quamdiu  
 conuiuium eius flagitiosissimum praeteruecta est. ipse  
 se autem, qui uisus multis diebus non esset, tum se ta-  
 men in conspectum nautis paulisper dedit. stetit solea-  
 tus praetor populi R. cum pallio purpureo, tunicaq. ta-  
 laui, muliercula nixus, in litore. iam hoc ipso istum ue-  
 stitu Siculi, ciuesq. R. permulti saepe uiderunt. postea  
 quam paululum prouecta classis est, & Pachynum quin-  
 to die denique appulsa est; nauatae, famae coacti, radi-  
 ces palmarum agrestium, quarum erat in illis locis, st-  
 cut in magna parte Siciliae, multitudo, colligebant, &  
 his miseri, perditiq. alebantur. Cleomenes autem, qui  
 alterum se Verrem cum luxuria, atque nequitia, tum  
 etiam imperio putaret, similiter totos dies, in litore ta-  
 bernaculo posito, perportabat. ecce autem repente, e-  
 brio Cleomenes, esurientibus ceteris, nunciatur pirata-  
 rum naues esse in portu Edissae. nam ita is locus no-  
 minatur. nostra autem classis erat in portu Pachyni.  
 Cleomenes autem, quod ibi erat terrestre praesidium  
 non re, sed nomine, sperabat ijs militibus, quos eo loco  
 deduxisset, explere se numerũ nauatarum & remigum  
 posse. reperit autem eadem istius hominis auarissimi ratio  
 in praesidijs, quae in classibus. nam erant perpauci re-  
 liqui, ceteriq. dimissi. princeps Cleomenes, in quadri-  
 mi Centuripina malum erigi, uela fieri, praecidi an-  
 choras imperauit. & simul, ut se ceteri sequerentur,  
 signum dari iussit. haec Centuripina nauis erat incredi-  
 bili celeritate uelis: nam scire isto praetore nemo pote-  
 rat, quid quaeque nauis remis facere possent; et sim-  
 hac quadriremi propter honorem, & gratiam Cleome-  
 nis, minime multi remiges, & milites deerant. enola-  
 rat iam e conspectu sese fugiens quadriremis, cũ etiam  
 tunc ceterae naues suo in loco moliebantur. erat animus  
 in reliquis: quamquam erant pauci, quoquo modo sese  
 res habebat, pugnare tamen se uelle clamabant. &  
 quod reliquum uitae, uirumq. famae fecerat, id ferro  
 potissimum reddere uolebant. quod si Cleomenes non  
 tanto ante fugisset, aliqua tamen ad resistendum ratio  
 fuisset. erat enim sola illa nauis constrata, & ita ma-  
 gna, ut propugnaculo ceteris posset esse: quae, si in  
 praedonum pugna uersaretur, urbis instar habere in-  
 ter illos piraticos myoparones uideretur. sed tũ mox  
 relicti a duce, praefectoq. classis, eundem necessario cur-  
 sum tenere coeperunt. Pelorum uersus, ut ipse Cleo-  
 menes, ita ceteri nauigabant. neque ita tamen tam  
 praedonum fugiebant imperum, quam imperatorem  
 sequebantur. tum ut quisque in fuga postremus, ita in  
 periculo princeps erat. postremam enim quamque nauẽ  
 piratae primã adoriebantur. ita prima Haluntinorum  
 nauis capitur: cui praerat Haluntinus, homo nobilis,  
 Philarchus, quem ab illis praedonibus Locrenses pos-  
 stea publice redemerunt: ex quo uos priore actione iura-  
 to rem omnem, causamq. cognostis, deinde Apolloniẽ  
 is 1147

si naus capitur, & eius praefectus Anthropinus occiditur. haec dum aguntur, inter ea Cleomenes iam ad Pelori litus peruenerat, iam sese in terram e nauis eiecerat, quadrirememq. in salo fluctuantem reliquerat. reliqui praefecti nauium, cum in terrā imperator exisset, cum ipsi neque repugnare, nec mari effugere ullo modo possent, appulsis ad Pelorum nauibus Cleomenem persecuti sunt. tunc praedonum dux Heracleo, repente, praeter spem, non sua uirtute, sed istius auaritia, nequitiq. uictor, classem pulcherrimam populi R. in litus expulsam, & eiectam, cum primum aduerserasceret, inflammari, incendiq. iussit. O tempus miserum, atque acerbum prouinciae Siciliae: o casum illum multis innocentibus calamitosum, atque funestum: o istius nequitiam, ac turpitudinem singularem. una atque eadem nox erat, qua praetor amoris turpissimi flamma, ac classis populi R. praedonum incendio conflagrabat.

## EXPLANATIO

**C**LEMENTIAM populi Romani, & qui cum, hoc audito, uehementer commotus esset, a praesenti tamen supplicio se continuit, ac repressit. **TIBI crimini datum iri?** si archipiratam securi percussisses. **NON ITA uixerat,** & cum ironia. **REPREHENSIO nulla esse potuit:** & quia mos fuit, ut capti piratae securi ferirentur. **GLABRIONEM** & praetorem. **IDEMQ. dies,** & in urbe imperium habere non licebat: itaque lex ferebatur, ut ijs, qui triumphantes urbem inirent, uno tantum triumphi die imperium esset, id est, sius eundi per urbem cum eo exercitu, quem ex prouincia deduxerant. **EST NUNC, credo cuiquam dubium,** & implicata sententia: sed uidetur hoc dici: Nisi, pecunia accepta, archipiratam dimississes, certe cum securi potius percussisses, quam ut eum domi tuae, tuo cum periculo, uiuum custodires; qui praesertim scires, ubi Romam reuertisses, causam tibi esse dicendam. Cum igitur dicit; **Est nunc, credo, cuiquam dubium,** quin tu id commissurus non fueris; hoc, opinor, dicit: Numquam commississes, ut ille securi non potius feriretur, quam domi tuae tuo periculo uiueret. **Q. V. O. D. erat ante oculos positum,** & si uiueret tuo periculo uiuere. crimen enim maiestatis illud erat: de quo infra: **Volō mihi totum esse crimen hoc integrum:** est certus locus, certa lex, certum tribunal, quo hoc referretur. **Q. V. I. D. dices?** quae tua excusatio, quae defensio esset? Verum de fuga archipiratae non laborabas: uero archipirata dimisso, pecuniam acceperas: in falsi locum, si fugisset, posses alium supponere. **EST CERTVS locus,** & certus hic non est, ubi de reperundis agitur, non de maiestate. **CERTA lex,** & de maiestate. **CERTVM tribunal,** & eius praetoris, qui de maiestate quaerit. **VESTE** & stragula. **ORNANDAM,** & instruendam. **REVOGANDOS,** & quos pretio dimiserat. supra. **PRAEDAE** & ex praedonibus. **AESTATE summa** & media, cum frumenta sunt in areis. supra. Et Coelius in ep. ad Ciceronem, Summis Circensibus ludis, dixit, pro, medijs. **CVM ISTI essent,** & Verres, & filius: quos appellare uiros, cum uiro nihil dignum agant, minime licet. **TOT IN acta dies** & Acta uocabulum, non satis usu tritum, loci deprauandi causam praebuit. est autem, In acta, secreto & amoenolitore: ut ait Seruius in illud Virgilij lib. V.

At procul in sola secretae Troades acta.  
Amisum Anchisen flebant.

Nepos, uel Probus in Agesilai uita: Cum in acta cū suis accubisset. **LEGATVS** & P. Tadius. **CLASSI populi Romani** & cui uel praetor ipse, uel legatus, uel quaestor, non Siculus homo, praesse deberet: ut infra. **V. B. I. ternis denarijs aestimatum frumentum?** cur enim tibi in cellam datum est frumentum illud, quod tu, cum esset HS binis, ternis denarijs in singulos modios aesti masti, nisi, ut opera tua, tuorumq. populus Romanus pro salute sociorum uteretur? **PERPETVO manserant.** & quam ob causam immunes erant, ac liberae. Duae tantum hic nominantur, Segestana, & Centuripina: sed praeterea tres erant, Halesina, Halyciensis, Panhormitana. quarum omnium initio lib. III. mentio fit. **COGNATIONE** & hoc ad Segestanam pertinet. Segesta enim opidum ab Aenea conditum putabatur. **DIGNITATIS,** & nulla, inquit, habita dignitatis ratio est: classi enim populi Romani Siculus homo praesse non debuit. nulla aequitatis: nam si homini Siculo, certe Segestano, aut Centuripinio potius, quam Syracusano, mandandus honos fuit: cum eae ciuitates, quae in amicitia, fideq. populi Romani perpetuo manserant, ijs, quae armis uictae fuerant, omnino praefereandae uiderentur. nulla denique officij: cum referri gratiam deceret Centuripinis, quibus in omni bello, quod in Sicilia gestum esset, socijs populus Romanus usus esset. nam Syracusani semper hostes. **VIDE,** quid intersit inter tuam libidinem, maiorumq. auctoritatem inter amorem, furoremq. tuum, & illorum consilium, atque prudentiam. Illi, & c. acrior est ex comparatione reprehensio: lib. III. Vide, inter importunitatem tuam, senatusq. bonitatem quid intersit. Senatus, cum temporibus reip. cogitur ut deernat, ut alterae decumae exigantur, ita de cernit, ut pecunia pro his decumis soluatur aratoribus: ut, quod plus sumitur, quam debetur, idem non auferri putetur? tu cum tot decumas non S. C. sed nouis edictis tuis, nefarijsq. institutis exigeres, & eriperes: magnum te fecisse arbitrare, si plures uendideris, quam L. Hortensius, pater istius Q. Hortensij, quam Cn. Pompeius, quam M. Marcellus, qui ab aequitate, ab lege ab institutis, non recesserunt? Similiter ibidem infra: Illum uiris fortissimis iudicarunt patres conscripti dimittere de summa non potuisse: te mulieri deterimae recte remisisse senatores iudicabunt: Ille, de quo lege populus Romanus iusserat, ut ipsius uoluntas & possit esse, & esset pro lege, tamen in hoc uno genere ueterum religione legum reprehenditur: tu qui, omnibus legibus implicatus tenebare, libidinem tibi tuam pro lege

lege esse uoluit in illo reprehenditur, quod ex ea pecunia remiserit, quam ipse quaesierat: tibi concedetur, qui de capite uectigalium populi Romani remisisti Agr. II. Videre, quid intersit inter Cn. Domitium tribunum pl. hominem nobilissimum, & P. Rullum: qui tentauit, ut opinor, patientiam uestram, cum se nobilem esse diceret, Domitius, quod, per caerimonias, populi fieri non poterat, ratione affectus est, ut id quoad posset, quoad fas esset, quoad liceret populo ad partes daret: hic, quod populi proprium semper fuit, quod nemo imminuit, nemo immutauit, quin ij; qui populo agros essent assignaturi, ante acciperent a populo beneficium, quam darent, id totum eripere nobis, atque e manibus extorquere conatus est. Ille, quod dari populo nullo modo poterat, tamen quodam modo dedit: hic, quod animi nullo pacto poterat potestate, quadam ratione eripere conatus. Nec minus ualeat ad obiurgandum idem modus. praecclarum habemus exemplum in suasionem Maniliae legis. Maiores uestri saepe, mercatoribus, ac nauicatoribus iniuriosius tractatis, bella gesserunt: uos, tot ciuium Romanorum millibus uno nuncio, atque uno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis? Et quae sequuntur: Eodem genere materia conditur irridendi: ut pro Mur. Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas: ille, ut, quo intendit, mature cum exercitu perueniat. Te gallosum, illum buccinarum cantus exsuscitat. Tu actionem instituis, ille aciem instruit. Tu caues, ne tui consultores, ille, ne urbes, aut castra capiantur. Ille tenet, & scit, ut hostium copiae, tu, ut aquae pluuiae arceantur. Ille exercitatus est in propagandis finibus, tu in regendis. HABERE & habitare: ut apud Plautum in Truc.

-Haec meretrix,  
Quae hic habet.

AMOREM, & quo impulsus, Cleomenem, ut animo soluto, ac libero eius uxorem habere posses, classis praefecisti. OPERA & quia Marcellum in expugnandis Syracusis adiuuerant. SYRACUSANIS & Cleomeni Syracusano. SOLBATVS & crepidis muliebribus: quibus tamen & uiri uterentur domi. unde Horatius: Et soleas poscit. QVOD erat terrestre praesidium & nihil deest. nam, Erat, est pro Aderat. Praesidium autem non re, sed nomine, quasi correctio est, cum ignominia Verres: quia, cum praesidium milites significet, re non, nomine; ipse effecerat, ut praesidium illud esset nomine, non re. SCIRB isto praetore nemo poterat, & quia remiges pretio Verres dimiserat. MOLIEBANTVR. & satagebant in paranda fuga. Occupationem, & tarditatem significat hoc uerbum, ut lib. IV. Hora amplius iam in demoliendo permulti homines moliebantur. Terentius Haec. Dum comuntur, dum moliantur, ananus est. INOPES, & ope carentes. NEQUITIAQ. & hoc ad libidinem refertur. nam statim illa subiunguntur: O istius nequitiam, ac turpitudinem singularem. una atque eadem nox erat, qua praetor amoris turpissimi flamma, ac classis populi Romani praedonum incendio conflagrabat. lib. III. Homo inertior, ignauior, magis uir inter mulieres nequam, impura inter uiros muliercula, preferri non potest.

## O R A T I O

**A**FFERTVR nocte intempesta grauis huiusce mali nuncius Syracusas: curritur ad praetorium, quo istum e conuiuium illo praecclaro redixerat paullo ante mulieres cum cantu, atque symphonia. Cleomenes, quam quam nox erat, tamen in publico esse non audeat: includit se domi: neque aderat uxor, quae consolari hominem in malis posset. huius autem praecclari imperatoris ita erat seuera domi disciplina, ut, in re tanta, in tam graui nuncio, nemo admitteretur, nemo esset, qui auderet aut dormientem excitare, aut interpellare uigilantem. iam uero, re ab omnibus cognita, concursabat ut be tota maxima multitudo. non enim, sicut antea consuetudo erat, praedonum aduentum significabat ignis et specula sublati, aut tumultus; sed flamma ex ipso incendio nauium & calamitatem acceptam, & periculum reliquum nuntiabat. cum praetor quaereretur, & constaret ei neminem nunciasse: fit ad domum eius cum clamore concursus, atque impetus. tum iste excitatus exit: audit rem omnem ex Timarchide: sagum sumit. lucet iam fere: procedit in medium, uini, somni, stupri plenus. excipitur ab omnibus eiusmodi clamore, ut ei Lamprolaci periculi similitudo uersaretur ante oculos. hoc etiam maius hoc uidebatur, quod in odio simili multitudine hominum haec erat maxima. tum istius acta commemorabantur, tum flagitiosa illa conuiuia: tum appellabatur a multitudine mulieres nominatim: tum quae

rebat ex ipso palam, et dies continuos, per quos numquam uisus esset, ubi fuisset? quid egisset? tum imperator ab isto praepositus Cleomenes flagitabatur: neque quidquam propius est factum, quam ut illud Vticense exemplum de Hadriano trāsferretur Syracusas, ut duo sepulchra duorum praetorum improborum, duabus in provinciis constituerentur. uerum habita est a multitudine ratio temporis, habita est tumultus, habita etiam dignitatis, existimationisq. communis; quod is est conuentus Syracusis ciuium R. ut non modo illa provincia, uerum etiam hac rep. dignissimus existimeretur. confirmat ipsi se, cum is etiam tum semisomnis stuperet: arma capiunt: totum forum, atque insulam, quae est urbis magna pars, cōplet. unā illā solā noctem praedones ad Pelorum comorati, cum fumantes etiam nostras naues reliquissent, accedere incipiunt ad Syracusas. qui uidelicet saepe audissent, nihil esse pulchrius, quam Syracusarum moenia, ac portus; statuerant sese, si ea Verre praetore non uidissent, numquam esse uisuros. ac primo ad illa aestiua praetoris accedunt, ipsam illam ad partem litoris, ubi ipse per eos dies, tabernaculis positus, castra luxuriae collocarat. quem postea quam in anem locum offenderunt, & praetorem cōmouisse ex eo loco castra senserunt; statim sine ullo metu in portum ipsum penetrare coeperunt. cum in portum dico, iudices, (explanandum est enim diligentius eorum causa, qui locum ignorant)

ran) in urbem dico, atque in urbis intimam partem uenisse piratas. non enim portu illud opidum clauditur, sed in be portus ipse cingitur, & concluditur; non ut alluantur a mari moenia extrema, sed infuatur in urbis sinum portus. Hic te praetore Heraclio archipirata cum quatuor myoparonibus paruis ad arbitrium suum nauigauit. Pro diu immortale, piraticus myoparo cum imperium populi R. nomen, ac fasces essent Syracusis, usque ad forum, & ad omnes urbis crepidines accessit: quo neque Carthaginensium gloriosissimae classes, cum mari plurimum poterant, multis heliis saepe conatae, unquam adspirare potuerunt, neque populi R. iniuncta ante te praetorem gloria illa naualis, unquam tot Puniceis, Siciliensibusq. bellis penetrare potuit: qui locus eiusmodi est, ut ante Syracusani in moenibus suis, in urbe, in foro hostem armatum, ac uictorem, quam in portu ullam hostium nauem uiderent. hic te praetore praedonum nauiculae peruagatae sunt, quo Atheniensium classis sola post hominum memoriae nauibus ui, ac multitudine inuasit: quae in eo ipso portu, loci ipsius, portusq. natura uicta, atque superata est. hic primum opes illius ciuitatis uictae, comminutae, depressaeq. sunt. in hoc portu Atheniensium nobilitatis, imperij, gloriae naufragium factum existimatur. eo ne pirata penetraret, quo simul atque adisset, non modo a latere, sed etiam a tergo magnam partem urbis relinqueret? Insulam tota praeterea est: quae est urbis magna pars Syracusis suo nomine, ac moenibus: quo in loco maiores, ut ante dixi, Syracusanum quemquam habitare uetuerunt, quod, qui illam partem urbis tenebant, in eorum potestatem portum futurum intelligebant. at quemadmodum est peruagatus? radices palmarum agrestium, quas in nostris nauibus inuenerat, iaciebat, ut omnes istius improbitatem, & calamitatem Siciliae possent cognoscere. Siculos ne milites, aratorum ne liberos, quorum patres tantum labore suo frumenti exarabant, ut populo R. totiq. Italiae suppeditare possent, eos ne, in insula Cereris nazos, ubi primum fruges inuentae esse dicuntur, eo cibo esse usos, a quo maiores eorum ceteros quoque, frugibus inuentis, remouerunt? te praetore Siculi milites palmarum stirpibus, praedones Siculo frumento alebantur. O spectaculum miserum, atque acerbum: ludibrio esse urbis gloriam, populi R. nomen hominum conuentu, atque multitudine piratico myoparone, in portu Syracusano, de classe populi R. triumphum agere piratam, cum praetoris nequissimi, inertissimiq. oculos praedonum remi respergerent. Postea quam e portu piratae, non metu aliquo affecti, sed societate exierant, tum coeperunt quaerere homines causam illius tantae calamitatis: dicere omnes, & palam disputare, minime esse mirandum, si, militibus, remigibusq. dimissis, reliquis egestate, & fame perditis, praetore tot dies cum mulerculis perpotante, tanta ignominia, & calamitas esset accepta. haec autem istius uituperatio, atque infamia confirmabatur eorum sermone, qui a suis ciuitatibus illis nauibus praepositi fuerant: qui ex illo numero reliqui Syracusas classe amissa, refugerant. dicebant, quos ex sua quisque nauis missos si ueret esse. res erat clara: neque solum argumentis, sed etiam certis testibus istius audacia tenebatur. homo certior fit, agi nihil in foro, & conuentu, toto die, nisi hoc quaeri a

nauarchis, quemadmodum classis esset amissa: illos respondere, docere unumquemque, missione remigum, fame reliquorum, Cleomenis timore, & fuga. quod postea quam iste cognouit, hanc rationem habere coepit. causam sibi dicendam esse statuerat iam ante, quam hoc usu ueniret, ita ut ipsum priore actione dicere audisset. uidebat, illis nauarchis testibus, tantum hoc crimen sustinere se nullo modo posse. consilium capit primo stultum, uerumtamen clemens: Cleomenem, & nauarchos ad se uocari iubet: ueniunt. accusat eos, quod huiusmodi de se sermones habuerint: rogat, ut id facere desistant, & in sua quisque nauis dicat se tantum habuisse nantarum, quantum oportuerit, neque quemquam esse dimissum. illi enim uero se ostendant, quod uellet, esse facturos. iste non procrastinat: aduocat amicos statim: quaerit ex his sigillatim, quot quisque nauas habuerit. respondit uniusquisque, ut erat praeceptum. iste in tabellas refert: obsignat signis amicorum prouidens homo, ut contra hoc crimen, si quando opus esset, hac uide licet te estificatione uteretur. Denique credo esse hominem amentem a suis consiliarijs, & admonitum, haec ei tabulas nihil profuturas, etiam plus ex nimia praetoris diligentia suspicionis in eo crimine futurum. iam iste erat haec stultitia multis in rebus usus, ut publica quoque, quae uellet, in ciuitatum litteris & tolli, & referri iuberet. quae omnia nunc intelligit sibi nihil prodesse, postea quam certis litteris, testibus, auctoritatibusq. conuincitur. Vbi hoc uidet, illorum confessionem, & estificationem suam, tabellas sibi nullo adiumento futuras; inquit consilium, non improbi praetoris, (nam id quidem esset ferendum) sed importuni, atque amentis tyranni: statuit, si hoc crimen extenuare uellet, (nam omnino tolli posse non arbitratur) nauarchos omnes testes sui sceleris uita esse priuandos. occurrebat illa ratio: quid Cleomeni fieri potero ne animaduertere in eos, quos dicto audientes esse iussi; missum facere eum, cui imperium, potestatemq. permisi? potero ne eos afficere supplicio, qui Cleomenem secuti sunt; ignoscere Cleomeni, qui secum fugere, & se consequi iussit? potero ne in eos esse uehemens, qui naues inanes non modo habuerunt, sed etiam apertas; in eum dissolutus, qui solus habuerit constratam nauem, & minus exinanti tam? pereat Cleomenes una: ubi fides? ubi execrationes? ubi dextrae, complexusque? ubi illud contubernium muliebris militiae in illo delicatissimo litore fieri nullo modo poterat, quin Cleomeni parceretur, Cleomenem uocat: dicit ei, se statuisse animaduertere in omnes nauarchos: ita sui periculi rationes ferre, ac postulare. tibi uni parcam; & totius istius culpaee crimen, uituperationemque inconstantiae potius suscipiam, quam aut in te sim crudelis, aut tot, tam graues testes uiuos, incolumesq. esse patiar. agit gratias Cleomenes: approbat consilium: dicit, ita fieri oportere: admonet tamen illud, quod istum fugerat, Phalarum Centuripinum nauarchum non posse animaduerti, propterea quod secum fuisset una in Centuripina quadremita. quid ergo? iste, homo eiusmodi ciuitate, adolescens nobilissimus, testis relinquetur? in praesentia, inquit Cleomenes: quoniam ita necesse est: sed post aliquid uidebimus, ne iste nobis obstare possit. Haec postea quam acta, & con-

stituta sunt, procedit iste repente e praetorio, inflammatus scelere, furore, crudelitate: in forum uenit: nauarchos uocari iubet, qui nihil metuerent, nihil susti- carentur, statim accurrunt: iste hominibus miseris, inno- centibus q. injici catenas imperat, implorare illi fidē po- puli R. & quare id faceret, rogare. tunc iste hoc caus- sac dicit, quod classem praedonibus prodidissent, sit cla- mor, & admiratio populi, tantā esse in homine impudē- tiam, atque audaciam, ut aut alijs causam calamita- tis attribueret, quae omnis propter auaritiā ipsius acci- disset; aut, cum ipse praedonum socius putaretur, alijs proditoris crimen in ferret: deinde hoc quinctodecimo die crimen esse natum, postquā clasfis esset amissa. tum haec fieret; quaerebatur, ubi esset Cleomenes: non quo illum ipsum, cuiusmodi esset, quisquam supplicio pro-

pter illud incommodum dignum putaret. nā quid Cleo- menes facere potuit, (nō enim possum quemquā insim- lare falso) quid, inquam, magnopere potuit Cleomenes facere, istius auaritia nauibus exinanitis? atque eum uident sedere ad latus praetoris, & ad aurem familia- riter, ut solitus erat, insurrare. tum uero omnibus in- dignissimum uisum est, homines honestissimos, electos ex suis ciuitatibus, in ferrum, atq. in uincla coniectos, Cleomenem propter flagitiorum, ac turpitudinis so- cietatem familiarissimum esse praetoris. apponitur his tamen accusator Naenius Turpio quidam, qui C. Sa- cerdote praetore iniuriarum damnatus est, homo bene appositus ad istius audaciam: quem iste in decu- mis, in rebus capitalibus, in omni calumnia praecurso- rem habere solebat, & emissarium.

## EXPLANATIO

**L**AMP SACENI periculi & cum parum abfuit, quin a Lampfacenis in ea domo, in qua diuersabatur, ui- uis exureretur. lib. I. ACTA commemorabantur, & dolor uocem exprimebat, ut, quae Verres, cum obire prouinciam, & concurrere ceterorum praetorum more deberet, per luxuriam & libidinem egisset, ea libere commemorarentur. Lambinus, Commemorabatur, legit: ut, Acta, sit litus de qua coniectu- ra nihil pronuncio. V TICENSE exemplum de Hadriano & Vticae praetor Hadrianus domi suae propter auaritiā uiuus exustus est. lib. I. DVO sepulcra & ut cremarentur duo praetores improbi duabus in pro- uincijs. SVO nomine, & quia, si est in urbe insula, unde nomen accepit; magnam urbis partem teneat, necesse est. Ac moenibus & extrema, ut opinor, aedificia, uocat moenia. nam duobus quidem portibus Insula cingebatur, in utriusque portus ostium, aditumq. proiecta, moeniū tamen ambitu carebat. lib. IV. IN EORVM potestatem & pro, potestate: ut pro Quinctio: Res esse in uadimonium coepit. Quem lo- cum pluribus confirmauimus exemplis. CONVENTV & ciuium Romanorum, qui Syracusis negotia- bantur. is enim conuentus appellatur in prouincijs. IN CIVITATVM litteris & tolli, & referri & litte- ras accipi pro eo, quod scribitur testimonij, memoriaeq. causa saepe iam dixi. sequitur proxime: Certis litteris, testibus, auctoritatibusq. conuincitur. APERTAS; & non constratas, non tectas, MINVS ex- nanit am; & militibus. supra: In haec quadriemi, propter honorem, & gratiam Cleomenis, minime mul- ti remiges, & milites deerant. VBI fides? & data Cleomenis uxori. EXSECRATIONES? & Exsecratio pro iureiurando omnium sanctissimo nonnunquam sumitur. hic quidem aliter accipi non potest, cum in- ter fidem, & dexteras collocetur. in ea uero pro Sextio non obscure: Hunc uir clarissimus Cn. Pompeius omni cautione, foedere, execratione deuinxerat, in tribunatu nihil contra me esse facturum. Et Sallustius in Catil. post execrationem, id est, post iusiurandum. CONTVERNIVM & conuictus uxoris Cleomenis. MVLTIBRIS militiae & castra Verri litus illud delicatissimum fuerat. PRAEDONVM socius & in quo socius? in perdenda classe populi Romani. CUIVSMODI & malim, Cuius cuiusmodi, id est, qualiscum que esset. dicebant & Cuiusmodi. FLAGITIORVM, ac turpitudinis & communicatam Verri uxorem a Cleomene significat. APPONITVR & dixi iam, hoc uerbo malitiam fraudemq. designari. lib. I. Si res a- biret ab eo mancipio, quem ipse apposuisse. lib. II. Apponit, qui petat Verri Erycinae illam hereditate. Lib. III. Appositus erat Venuleius quidam, qui emeret. NAEVIVS Turpio & nominatus lib. II. IN DE- CVMIS, & lib. III. Petrini, cum eorum decumae magno addictae essent, tamen inuitissimi P. Naeuius Tur- pioni, improbissimo homini, qui iniuriarum Sacerdote praetore damnatus est, HS VII millia dari coa- cti sunt. IN REBUS capitalibus, & cum Dioni Halesino hereditatem ademit. lib. II.

## ORATIO

**V**ENIUNT Syracusas parentes, propinqui. mi- serorum adolescentium, hoc repentino calamita- tis suae comoti nuncio: uictos adspiciunt catenis liber os suos? cum istius auaritiae poenam collo, & cervicibus suis sustinerent. adsunt, defendunt, proclamant: fide tua, quae nusquam erat, nec umquam fuit, implorant. pater a- dderat Dexio Tyndaritanus, homo nobilissimus, hospes tuus, cuius tu domi fueras, quem hospitem appellaras. eum cum illa auctoritate, & miseria uideres praedi- tum, non te eius lacrymae, non senectus, non hospi- tij ius, atque nomen a scelere aliquam ad partem hu- manitatis renouare potuit. Sed quid ego hospitij u-

ra in hac tam immani bellua commemoro? qui Sthe- nium Thermitanum, hospitem suum, cuius domum per hospitium exhausit, & exinanivit, absentem in reos retulerit, causa indicta capite damarit; ab eo nunc hospitiorum iura, atque officia quaeramus? cum homine enim crudeli nobis res est, an cum fe- ra, atque immani bellua? Te patris lacrimae de innocenti filij periculo non mouebant? cum patrem domi reliquisses, filium tecum haberes; te neque praesens filius de liberorum caritate, neque absens pater de indulgentia patria commonebat? Catenas ha- bebat hospes tuus Aristeus, Dexionis filius. quid ita? prodiderat

prodiderat classem. quod ob praemium desererat exercitum quid Cleomenes et ignavus fuerat: at eum tu ob virtutem corona aurea donaras. dimiserat nautas: at ab omnibus tu mercedem missionis acceperas. Alter patens ex altera parte erat Hebitensis Eubulida, homo domi suae clarus, et nobilis: qui, quia Cleomenem in defendendo filio laeserat, nudus paene est destitutus. quid erat autem, quod quisquam diceret, aut defenderet? Cleomenem nominare non licet. at causa cogit. moriere, si appellaris. numquam enim iste est cuiquam medio criter minatus. at venigres non erant. praetorem tu accusas? frange ceruicem sineque praetore, neque praetoris aemulum appellare licebit, cum in his duobus tota causa sit; quid futurum est? Dicit etiam causam Heraclius Segestanus, homo domi suae summo loco natus. audite, ut vestra humanitas postulat, iudices: audietis enim de magnis incommodis iniuriisque sociorum. hunc scitote fuisse Heraclium in ea causa, qui propter gravem morbum oculorum non nauigavit, et in usu eius, qui potestate habuit, cum commeatu Syracusis remanserit. iste certe neque prodidit classem, neque metu perterritus fugit, neque exercitum deseruit. etenim tunc esset hoc animaduersum, cum classis Syracusis proficisceretur. is tamen in eadem causa fuit, quasi esset in aliquo manifesto scelere deprehensus, in quem ne falso quidem causa conferri criminis potuit. Fuit in illis nauarchis Heraclides quidam Furius, (nam habent illi nonnulla huiusmodi Latina nomina) homo quam diu uixit, domi suae, non solum post mortem tota Sicilia, clarus, et nobilis: in quo homine tantum animi fuit, non solum ut istum libere laederet, (nam id quidem, quoniam moriendum uidebat, sine periculo se facere intulgebat) uerum, morte proposita, cum lacrymans in carcere mater noctes diesque assideret, defensionem causae suae scripsit: quam nunc, nemo est in Sicilia, qui habereat, quin legat, quin tu sceleris, et crudelitatis ex illa oratione commoneat. in qua docet, quot a ciuitate sua nautas acceperit, quot et quanti quemque dimiserit, quot secum habuerit: item de caeteris nauibus dicit. quae cum apud te diceret, uirgis oculi uerberabantur: ille, morte proposita, facile dolorem corporis patiebatur. clamabat, id quod scriptum reliquit, facinus esse indignum, plus impudicissimae mulieris apud te de Cleomenis salute, quam de sua uita lacrymas matris ualere. deinde etiam illud uideo esse dictum, quod, si recte nos, populus Romanus cognouit, non falso illam in ipsa morte de uobis praedicauit: non posse Verrem testes interficiendo crimina sua extinguere: grauiorem apud sapientes iudices se fore ab inferis testem, quam si uivus in iudicium produceretur; tum, avaritiae solum, si uiueret, nunc, cum ita esset necatus sceleris, audaciae, crudelitatis testem fore: iam illa praeclara, non testium modo carceras, cum tua res ageretur, sed tum a diis. Manibus innocentium poenas, sceleratorumque furias in tuum iudicium esse uenturas: sese ideo leniorem casum suum fingere, quod iam ante aciem securium tuarum, Sextiique tui carnis uiscis uultum, et manum uidisset, cum in conuentu ciuium Romanorum tuo securi cines Romanos ferirentur. Ne multa, iudices: libertatem quam uos sociis dedistis, hac ille in acerbissimo supplicio miseritiae seruitutis a-busus est, condemnat omnes de consilij sententia: ta-men neque iste in tanta re, tot hominum, totque ciuium causa, P. Vettium ad se accersit, quae sortem suam,

cuius consilio uteretur, neque P. Seruimum, talem iurum, legatum, qui, quia legatus isto praetore in Sicilia fuit primus ab isto iudex reus eius est; sed de latronum, hoc est de comitum suorum sententia condemnat omnes. hic cuncti Siculi, fidelissimi, atque antiquissimi socij, plurimis affecti beneficijs a maioribus nostris, grauius commouentur, et de suis periculis fortunisque omnibus perimescunt. illam clementiam, mansuetudinem nostri imperij in tantam crudelitatem, inhumanitatemque esse conuersam? condemnari tot homines uno tempore nullo crimine? defensionem suorum furtorum praetorem improbum ex indignissima morte innocentium quaerere? nihil addi iam uidetur, iudices, ad hanc improbitatem, amentiam, crudelitatemque posse: et recte nihil uidetur. nam, si cum aliorum improbitate certet; longe omnes, multumque superabit: sed secum ipse certat: id agit, ut semper superius suum facinus nouo scelere uincat. Phalargum Centuripinum dixeram exceptum esse a Cleomene, quod in eius quadremi Cleomenes uictus esset: tamen, quia perterritus adolefens, quod eandem suam causam uidebat esse, quam illorum, qui innocentes peribant, ad hominem accedit Timarchides: a securi negat esse ei periculum: uirgis ne caederetur, monet ut caueat. ne multa: ipsum dicere adolefcentem audis, se ob hunc uirgarum metum pecuniam Timarchidi numerasse. Leuia sunt haec in hoc reo crimina. metum uirgarum nauarchus nobilissimae ciuitatis pretio redemit: humanum. alius, ne condemnaretur, pecuniam dedit: usitatum est. non uult populus Romanus ob soleris criminibus accusari Verrem: noua postulat, inaudita desiderat: non de praetore Siciliae, sed de crudelissimo tyranno fieri iudicium arbitrat. Includuntur in carcerem condemnati. supplicium constituitur in illos, sumitur de miseris parentibus nauarchorum: prohibentur adire ad filios suos: prohibentur liberis suis cibum, uestitumque ferre: patres hi, quos uidetis, iacebant in limine; matresque miserae pernoctabant ad ostium carceris, ab extremo complexu liberum exclusae: quae nihil aliud orabant, nisi ut filiorum extremum spiritum ore excipere sibi liceret. aderat ianitor carceris, carnifex praetoris, mors terrorque sociorum, et ciuium, licetor Sextius: cui ex omni gemitu, doloreque certa merces comparabatur. ut adeas, tantum dabis: ut cibum tibi introferre liceat, tantum: nemo recusabat. quid, ut uno tui securis offeram mortem filio tuo, quid dabis? ne diu crucietur? ne saepius feriat? ne cum sensu doloris aliquo, aut cruciatu spiritus auferatur? etiam ob hanc causam pecuniam licetori dabatur. o magnum, atque intolerandum dolorem: o grauem, acerbamque fortunam. non uitam liberum, sed mortis celeritatem pretio redimere cogebantur parentes. atque ipsi etiam adolentes cum Sextio de eadem plaga, et de nouo isto loquebantur; idque postremum parentes suos liberi orabant, ut, leuandi cruciatu sui gratia, licetori pecunia daretur. multi, et graues dolores inuenti parentibus, et propinquis, multi; uerum tamen mors sit extrema: non erit. est ne aliquid ultra, quo progredi crudelitas possit? reperietur; nam illorum liberi cum erant securi percussi, ac necati, corpora feris obijciuntur. hoc si licetor uolumus est parenti, redimat pretio sepelendi potestatem. Onasam Segestanum, ho-



minem nobilem, dicere audistis, se ob sepulturam Heraclij nauarchi pecuniam Timarchidi diuenerasse. hoc (ne possis dicere; patres enim ueniunt, amissi filijs, irati) uir primarius, homo nobilissimus, dicit, ne que de filio dicit, iam hoc, quis tum fuit Syracusis, qui non au dierit, quin sciat, has per Timarchidem pactiones sepulturæ cum uiuis etiam illis esse factas? non palam cum Timarchide loquebantur? nõ omnes omnium propinqui adhibebantur? non palam uiuorum funera locabantur? Quibus rebus omnibus actis, atque decisis, pro ducuntur e carcere, & deligantur ad palam. quis tam fuit illo tempore durus, & ferreus, quis tam inhumanus, praeter unum te, qui non illorum aetate, nobilitate, miseria commoueretur? ecquis fuit, quin lacrymaretur? quin ita calamitatem putaret illorum, ut fortunam tamen non alienam, periculum autem commune agi arbitraretur? Feruntur securi. laetaris tu in cœuium gemitu, & triumphas: testes auari-

tiae tuae gaudes esse sublato. errabas, Verres, & ne bementer errabas, cum te maculas furtorum, & flagitiorum tuorum, sociorum innocentium sanguine eluere arbitrabare: praecipue amentia ferebare, qui te existimares auaritia uulnera crudelitatis remedijs posse sanare. etenim, quamquam illi sunt mortui, sceleris tui testes; tamen eorum propinqui neque tibi, neque illis desunt; tamen ex illo ipso numero nauarchorum aliqui uiuunt, & adsunt; quos, ut mihi uidetur, ab illorum innocentiæ poena fortuna ad hanc causam refer nauit. adest Philarchus Haluninus, qui, quia cum Cleomene non fugit, oppressus a praedonibus, & captus est: cui calamitas saluti fuit: qui nisi captus a piratis esset, in hunc praedonem sociorum incidisset. dicit is pro testimonio de missione nauarum, de fame, de Cleomenis fuga, adest Centuripinus Phalarus, in amplissima ciuitate amplissimo loco natus: eadē dicit: nulla in re discrepat.

### EXPLANATIO

**A**EMVLVM? cum eandem uterque amaret. supra: Paulo solutiore tamen animo secum illam haberet, si non tamquam uirum, & tamquam aemulum remouisset. Lib. III. Veniunt Herbitam duo praetoris aemuli non molesti. **IN EA CAUSSA**, eius criminis accusatum, infra: Is tamen in eadem caussa fuit, quasi esset in aliquo manifesto scelere deprehensus. **IVSSU eius**, iussu Cleomenis, qui praefuit classi. **IN COMMEATV**? ut cum comœatu, liberatus oculorum morbo, sequeretur. **CVM CLASSIS**? in qua ipse non fuit. quo tempore si cum ceteris nauigasset; hoc esset animaduersum, posse idē quod in ceteros, crimen conferri: cum uero constet eum non nauigasse; ex eo scilicet animaduertitur, nullam in eo culpam esse. **NE FALSO quidem**? quid enim criminis in eum, qui abfuit, conferri possit? **HOMO**, quamdiu uixit, domi suae solum, post mortem tota Sicilia clarus, & nobilis. & magnifica sententia. quod si legas, Domi suae non solum, ut in libris peruulgatis: quis erit sensus? Ego, particula, Non, inducta, distinctione ad sententiam accommodata, locum, ut puto, restitui. Est enim haec praecleara figura ad augendam Furij laudem, uituperationem Verres. Dum uixit Furius, domi suae tantum clarus, & nobilis fuit, post mortem uero tota Sicilia. mors enim eum nobilitauit: non modo quia Verrem, praesenti iam morte, libere accusauit, sed etiam, quia suae causae defensionem scripsit in carcere: quae scelus crudelitatemq. Verres uniuersae Siciliae passim lecta patefacit. Habet autem hic transitus ab una ciuitate, in qua Furius uixit, ad Siciliam totam, quae post mortem eū cognouit, spē didum quiddam, ac magnificum; ut ille a multis ad omnes lib. II. Sthenius est, is qui nobis assidet, Thermitanus, antea multis propter summam uirtutem, summamq. nobilitatem, nunc propter summam calamitatem, atque istius insignem iniuriam omnibus notus. Adde illud a copijs ad inopiam eodem libro. (cur enim similia negligamus? cum e contrarijs quoque, non modo e similibus, ornate & copiose scribendi facultas augeatur) Heraclius est, Hieronis filius, Syracusanus, homo in primis domi suae nobilis, & ante hunc praetorem uel pecuniosissimus Syracusanorum, nunc nulla alia calamitate, nisi istius auaritia, atque iniuria, pauperimus. Habet id quoque similitudinem aliquam, quod hic paullo post subiungitur: Grauiorem apud sapientes iudices se fore ab inferis testem, quam si uiuus in iudiciū perducere tur: tum, auaritia solum, si uiueret, nunc, cum ita esset necatus, sceleris, audaciae, crudelitatis testem fore. **CVM TVA res ageretur**? cum reus esses. **SCELERATORVMQ. furias**? eas furias, quae sceleratos homines persequi, & uexare consueuerunt. **IDEO leuiorem casum suum fingere**, ideo sibi leuiorem uideri casum suum. **CIVES Romanos**? eos, de quibus supra his uerbis: Cum maximus numerus deesset, tum iste, homo nefarius, in eorum locum, quos domum suam de piratis abduxerat, substituere, & supponere coepit ciues Romanos, quos in carcerem antea coniecerat. **ILLE**? Furius. **ABVSVS est**? quia fortū animo dixit omnia: cum tamē pro ea libertate, quam senatus populusq. Romanus socijs dedit, miseritiae seruitutis acerbissimum supplicium perpetueretur. **IN ACERBISSIMO supplicio**, quia, cum illa diceret, uirgis oculi uerberabantur. **TOTO ciuium**? Siculorum. **P. VETTIVM**? cuius sororem in matrimonio Verres habebat praenomen aut in hoc Vettio, aut in altero, eius fratre, qui lib. III. nominatur, mendosum sit necesse est: nam uterque Publius appellatur. **QVIA legatus isto praetore in Sicilia fuit**, ut eius omnia scelera cognoscere potuerit, **COMITVM suarum**? ex eadem cohorte, ex qua in decumarum libris recuperatores dabat. **TOTI homines, uno tempore, nullo crimine**? interpunctis uim sententia maiore acquirunt. **SECVM ipse certat**? tribus partibus sententia tota constat: quarum prima est, alios uincere; altera, secum certare; tertia, se ipsum uincere quae conferuntur hic omnes ad infamiam. Verres, duae priores ad laudem Dolabellae in illa lucu lenta epistola, Et si contentus eram, mi Dolabella, tua gloria. Sic enim cum Cicero cohortatur. Quid est, quod ego te horter, ut dignitati, & gloriae seruias? propona tibi claros uiros; neminē habeo clariore, quā te ipsū te imitere, oportet, tecū ipse certes. **SCELERE**? quod est grauius quā facinus. q. enim id agit, ut se ipsū uincat, nõ a scelere ad facinus, uerū a facinore, p. greditur ad scelus, infra:

infra: Facinus est, ciuem Romanum uinciri: scelus, uerberati. OBSOLETIS ? communibus, usitatis. SVMITVR ? propter ea, quae sequuntur. parentibus enim id acerbissimi supplicij loco est, cum adire ad filios suos, cum cibum ijs, uestitumq. ferre prohibentur. MULTI, & graues dolores inuenti parentibus, & propinquis, multi. ueruntamen mors sit extrema: non erit. ? pluribus modis usurpatur eiusdem siue nominis, siue uerbi, addo etiam particulae, repetitio: sed quocumque modo splendor, & uis additur orationi. habet autem uel in media sententia locum repetitio, ut hic, & infra: Tulit haec ciuitas, quoad potuit, quoad necesse fuit, regiam istam uestram dominationem in iudicijs, & in omni republica, tulit: sed, quo die populo Romano tribuni pl. restituti sunt, omnia ista uobis, si forte nondum intelligitis, adempta atque erepta sunt. Eiusdem generis illud Terentij in Adel. Non est flagitium, mihi crede, adolescentulum Scortari, neque potare, non est. Eodem loco uenustatem habet repetita particula, Non, ut in ep. ad Art. lib. X. Ea uero, quae sunt ijs ipsis malis, in quibus sumus, miseriora, non sunt ab obsequio nostro, non: suas radices habent. Et in oratione de harusp. resp. Bonam deam appellat, quia sibi in tanto scelere ignouerit. non ignouit, mihi crede, non. Varro quoque lib. III. rei r. non tibi decoquet, non, omnithon: neque hoc accidit his moribus, nisi raro. In ipso autem sententiae principio uerba quoque cum ornatu repetuntur, uel cum aliqua interpositione, ut hic paullo post: Errabas Verres, & uehementer errabas, cum te maculas furtorum, & flagitiorum tuorum, sociorum innocentium sanguine eluere arbitrare. Vel nullo interposito uerbo, ut pro Milone: E est, est profecto illa uis. Pro Fonteio: Fuit, fuit in illis iudicijs diuinum ac singulare consilium. Progreditur saepe repetitio sic, ut tria membra nonnunquam comprehendat: quale est illud in ep. ad Lentulum: Magna est hominum opinio de te, magna commendatio liberalitatis, magna memoria consulatus tui. Et illud Sulpicij, quo nihil perfectius, praesertim in rogando: Quod si quis etiam inferis sensus est: qui illius amor in te fuit, pietasq. in omnes suos, hoc certe illa te facere non uult. da hoc illi mortuae; da ceteris amicis, & familiaribus, qui tuo dolore maerent: da patriae; ut, si qua in re opus sit, opera, & consilio tuo uti possit. In quattuor membris illud pro Murena: Date hoc ipsum pudori: date patri mortuo: date generi, & familiae: date etiam Lanuino municipio honestissimo, quod in hac caussa frequens, maestumq. uidi- stis. *Ut fortunam tamen non alienam, periculum autem commune agi arbitraretur?* ? quod ad omnes pertinere potest, eo mouemur magis, quam quod eiusmodi est, ut, etiam si graue acerbumq. sit alijs, ipsi tamen extra periculum simus. inde sumpsit eam sententiam Cicero Pro Deiotaro: Fugitiui dominum accusantis, & dominum absentem, & dominum amicissimum nostrae reip. cum os uidebam, cum uerba audiebam; non tam afflictam regiam condicionem dolebam, quam de fortunis communibus extimescebam.

ORATIO

**P**ER deos immortales, iudices, quo tandem animo fereris? aut haec quemadmodum auditis? utrum ego desipio, & plus, quam satis est, doleo in tanta calamitate, miseriaq. sociorum; an uos quoque hic acerbissimus innocentium cruciatus, & maeror pari sensu doloris afficit? ego enim cum Herbitensem, cum Heraclensem securi esse percussum dico, uersatur mihi ante oculos indignitas calamitatis. eorum ne populorum ciues, eorum ne agrorum colonos, ex quibus maxima uis frumenti quotannis plebi Romani illorum operis, ac laboribus quaeritur, qui a parentibus spe nostri imperij, nostraeq. aequitatis suscepti, educatiq. sunt, ad C. Verres nefariam immunitatem, & ad eius securem funestam esse seruatos? Cum mihi Tyndaritari illius uenit in mentem, cum Segestani tum iura simul ciuitatum, atque officia considero, quas urbes P. Africanus etiam orandas esse spolijs hostium arbitratus est, eas C. Verres non solum illis ornamentis, sed etiam uiris nobilissimis nefario scelere priuauit, in quod Tyndaritari libenter praedicent, nos in septemdecim populis Siciliae non eramus: nos semper in omnibus Punicis Siciliensibusq. bellis amicitiam fidemq. populi R. secuti sumus: a nobis omnia populo R. semper & belli adiumenta, & pacis ornamenta administrata sunt, Multum uero haec his iura profuerunt in istius imperio, ac potestate. Vestros quondam nauas contra Carthaginem Scipio duxit, at nunc nauas contra praedones paene inanes Cleomenes ducit. Uobiscum Africanus hostium spolia, & prae-

mia laudis communicauit. at nunc per me spoliati, nauae a praedonibus abductae, ipsi in hostium numero, locoq. ducemini. Quid uero illa Segestanorum non solum litteris tradita, neque commemorata uerbis, sed multis officijs illorum usurpata & comprobata cognatio, quos tandem fructus huiusce necessitudinis in istius imperio tulit; nempe hoc fuit iure, iudices, ut ex sinu patris nobilissimus adolescens, & e complexu matris ereptus innocens filius istius carnifici Sextio dederetur. cui ciuitati maiores nostri maximos agros, atque optimos concesserunt, quam immunem esse uoluerunt; haec tanta apud te cognationis, fidelitatis, uetustatis auctoritate, ne hoc quidem iuris obtinuit, ut unius honestissimi, atque innocentissimi ciuis mortem, & sanguinem deprecaretur. Quo confugient socij? quem implorabunt? qua spe denique, ut uiuere uelint, tenebuntur, si uos eos deseritis? ad senatum deuenient: qui de Verre supplicium sumat? non est usitatum, non senatorium, ad populum R. confugient? facilius est causa populi: legem enim se sociorum causa iussisse, & ei legi uos cunctodes ac uindices praeposuisse dicet. hic locus est igitur unus, quo perfugient; hic portus, haec arx, haec ara sociorum: quo quidem nunc non ita confugiunt, ut antea in suis repetendis rebus solebant: non argentum, non aurum, non uellem, non mancipia reperunt, non ornamenta, quae ex urbibus, fanisq. erepta sunt: metuunt homines imperiti, ne iam haec populus R. concedat, & iam fieri uelit, patimur enim iam multos an-

nos,

nos, & silemus, cum uideamus ad paucos homines omnes omnium nationum pecunias peruenisse. quod eo magis ferre ac quo animo, atque concedere uidemur, quia nemo istorum dissimulat, nemo laborat, ut obscura sua cupiditas esse uideatur. in urbe nostra pulcherrima, atque ornatissima quod signum, quae tabula picta est, quae non ab hostibus uictis capta, atque apporata sit? atque istorum nullae sociorum fidelissimorum & plurimorum, & pulcherrimis spolijs ornatae, refertaeque sunt. ubi pecunias exterarum nationum esse arbitramini, quibus nunc omnes egent, cum Athenas, Pergamum, Cyzicum, Miletum, Chion, Samon, totam denique Asiam, Achaiam Graeciam, Siciliam iam in paucis nullis inclusas esse uideatis? sed haec, ut dico, omnia iam socij uestri relinquunt, & negligunt, iudices: ne publice a populo R. spoliarentur, officijs, ac fide prouiderunt. paucorum cupiditati, tum cum obsistere non poterant, tamen sufficere aliquo modo poterant: nunc uero iam adempta est non modo resistendi, uerum etiam suppeditandi facultas: itaque res suas negligunt: pecunias, quo nomine iudicium hoc appellatur, non repetunt, relinquunt, & negligunt: hoc iam ornatum ad uos confugiunt. adspicite, adspicite, iudices, squalorem, sordesque sociorum. Est Stephanus hic Thermitanus, cum hoc capillo, atque ueste; domo sua tota expilata, mentionem tuorum furtorum non facit: se se ipsum abs te repetit, nihil amplius. totum enim tua libidine, & scelere ex sua patria, in qua multis uirtutibus & beneficijs princeps floruit, sustulisti. Dextio hic, quem uideatis, non quae publice Tyndari, non quae priuatim sibi eripuisti, sed unicum miser abs te filium optimum, atque innocentissimum flagitat. non ex litibus aestimatis tuis pecuniam domum, sed ex tua calamitate cineri atque ossibus filij sui solatiu multum aliquod reportare. Hic iam grandis natu Eubulida hoc tantum, exacta aetate, laboris, itinerisque suscepit, non ut aliquid ex suis bonis recuperaret, sed ut, quibus oculis eruentas ceruices filij sui uiderat, ipsidem te condemnatum uideret. Si per L. Metellum licitum esset, iudices, matres illorum, uxores, sororesque ueniebant. quarum una, cum ego ad Eracliam noctu accederem, cum omnibus matronis eius ciuitatis, & cum multis facibus mihi obuiam uenit. & ita, me suam salutem appellans, te suum carnificem nominans, filij nomen implorans, mihi ad pedes misera iacuit, quasi ego excitare filium eius ab inferis possem. faciebatur hoc idem in ceteris ciuitatibus grandes natu matres, & idem paruuli liberi miserorum: quorum utrorumque aetas laborem, & industriam meam, fidem, & misericordiam uestra requerebat. itaque ad me, iudices, praeter ceteras, hanc querimoniam Sicilia detulit lacrimis. ego ad hoc non gloria indutus accessi, sed ne falsa damnatio, ne carcer, ne catenae, ne uerbera, ne secures, ne cruciatus sociorum, ne sanguis innocentium, ne denique etiam ex sanguine corpora mortuorum, ne maeror parentum, ac propinquorum magistratibus nostris quaestui posset esse. hunc ego si metum Siciliae, damnatione istius, per uestram fidem, & seueritatem dei ceceero, iudices; satis officio meo, satis illorum uoluntati, qui a me hoc petierunt, factum esse arbitror. Quapropter, si quem forte inuenis, qui hoc nauale crimen conetur defendere; is ita defendat illa communia, quae ad causam nihil pertinent, praetermittat, me culpam fortunae assignare, calamitatem criminum dare, me amissionem classis obijcere,

cum multi uiri fortes, in communi, incertoque periculo belli, & terra, & mari saepe offenderint. nullam tibi obijcio fortunam: nihil est, quod ceterorum res minus commode gestas proferas: nihil est, quod multorum naufragia fortunae colligas. ego naues inanes fuisse dico: remiges, nautasque dimissos: reliquos stirpibus uixisse palmarum: praefuisse classi populi R. Siculum, perpetuo socijs, atque amicis Syracusanum: te illo tempore ipso, superioribusque diebus omnibus, in litore cum mulierculis perpotasse dico: harum rerum omnium auctores, testesque produco. num tibi insultare in calamitate, num intercludere periculum fortunae, num casus bellicos exprobrare, aut obijcere uideo? tamen si solent ij fortunam sibi obijci nolle, qui se fortunae commiserunt, qui in eius periculis sunt, ac uarietate uersati. istius quidem calamitatis tuae fortuna particeps non fuit. homines enim in proelijs, non in conuiujs, belli fortunam retentare, ac periculis solent: in illa autem calamitate non Martem fuisse communem, sed Venerem, possumus dicere. quod si fortunam tibi obijci non oportet; cur tu fortunae illorum innocentium ueniam, ac locum non dedisti? Etiam illud praedices licet; quod supplicium more maiorum sumpsisti, securique percusseris, iccirco a me in crimine, & inuidiam uocari non in supplicio crimen meum uertitur: non ego securi nego quemquam feriri debere: non ego merum ex re militari, non seueritatem imperij, non poenam flagitij tolli dico oportere: fateor, non modo in socios, sed etiam in ciues, militesque nostros per saepe esse seuerum, ac uehementer uindicatum. quare haec quoque praetermittas licet. ego culpam non in nauarchis, sed in te fuisse demonstro: pretia milites, remigesque dimississe arguo. hoc nauarchi reliqui dicunt: hoc Neticorum foederata ciuitas publice dicit: hoc Herbitenses, hoc Amestratini, hoc Enneses, hoc Agirinenses, Tindaritan, Locreses publice dicunt. tuus denique testis, tuus imperator, tuus hospes Cleomenes hoc dicit, sese in terram esse egressum, ut Pachyno e terrestri praesidio milites colligeret, quos in nauibus collocaret. quod certe non fecisset, si suum numerum naues haberent. ea est enim ratio instructarum, ornatarumque nauium, ut non modo plures, sed ne singuli quidem possint accedere. Dico praeterea, illos ipsos reliquos nautas fame, atque inopia rerum omnium confectos fuisse, ac perditos. dico, aut omnes extra culpam fuisse: aut, si uni attribueda culpa sit, in eo maximam fuisse, qui optimam nauem, plurimos nautas haberet, summum imperium obtineret: aut, si omnes in culpa fuerint, non oportuisse Cleomenem constitui spectatorem illorum mortis, atque cruciatibus, dico etiam, in illo supplicio mercedem lacrymarum, mercedem uulneris, atque plagae, mercedem funeris, ac sepulturae constitui nefas fuisse. Quapropter, si mihi respondere uoles, hac dicito, classem instructam, atque ornata fuisse, nullum propugnatorem abfuisse, nullum uacuum transtrum fuisse, remigum rem frumentaria esse suppeditatam mentiri nauarchos, mentiri tot & ita graues ciuitates, mentiri etiam Siciliam totam: proditum esse te a Cleomenes, qui se dixerit exisse in terram, ut Pachyno deduceret milites: animum illis, non copias defuisse: Cleomenem acerrime pugnantem ab his relictum esse, atque desertum: nummum ob sepulturam datum nemini. quae si dices, tenebere. sin alia dices; quae a me dicta sunt, non refutabis.

EXPLANATIO

**EN, QUOD Tyndaritari libenter praedicent.** & cum indignatione, ut lib. I. En, cui tuos liberos committas, en memoria mortui sodalis. Et hic supra: En foederum interpretes, societatis pactores, religionis auctores. **IN XVII populis Siciliae** & qui bellum cum populo Romano gesserunt: qui tamen in clementiam in eo maximam sunt experti, quod eorum ager ijs redditus est, cum esset iure belli publicus populi Romani factus. lib. V. **IN HOSTIUM numero, locoq. ducemini.** & ultimo supplicio afficiemini. id enim est hostium numero ducere. supra: Si qui senes, aut deformes erant hostium numero ducit. **VSRPATA,** & renouata. **COGNATIO,** & origine ducta ab Aenea. supra. **HOC FVIT iure,** & ea condicione fuit. infra: Ne hoc quidem iuris obtinuit. **AD SENATVM deuenient,** & lamentatio epilogis maxime accommodata, ex afflictis miseriq. fortuna misericordiam captans. Attigit hunc locum Cicero uel ex ingenij praestantia, unus in primis ad omnes oratorias uirtutes a natura factus, uel obseruatione ueterum: nam lib. III. de Orat. recitat illud Gracchi: Quo me miser conferam? quo uerum? in Capitolium ne? at fratris sanguine redundat. an domum? matrem ne ut miseram, lamentantemq. uideam, & abiectam? Quod mihi Cicero ita uideatur imitatus in peroratione pro Murena, ut maiore etiam copia locum exornauerit. Si hunc, inquit, uestris sententijs afflixeritis, quo se miser uertet? domum? ne ut eam imaginem clarissimi uiri parentis sui, quam paucis ante diebus laureatam in sua gratulatione conspexit, eandem deformatam ignominia, lugentemq. uideat? an ad matrem? quae misera modo consulem osculata filium suum, nunc cruciatur, & sollicita est, ne eundem paullo post spoliatum omni dignitate conspiciat. Sed quid ego matrem, aut domum appello? quem noua poena legis & domo, & parente, & omnium suorum consuetudine, conspectuq. priuat. Ibit igitur in exilium miser? quo? ad orientis ne partes, in quibus annos multos legatus fuit, & exercitus duxit, & res maximas gessit? at habet magnum dolorem, unde cum honore decesseris, eodem cum ignominia reuerti. An se in contrariam partem terrarum abdet? ut Gallia transalpina, quem nuper summo cum imperio libentissime uiderit, eundem lugentem, maerentem, exsulem uideat? Vidit hanc uirtutem & Sallustius expressiq. in Iugurthina historia, opem & misericordiam a senatu Romano contra Iugurthae iniurias Adherbale quae rente. Exsul patria, inquit, domo, solus, atque omnium honestarum rerum egenus quo accedam? aut quos appellem? nationes ne, an reges? qui omnes familiae nostrae ob uestram amicitiam infesti sunt. An quoquam mihi adire licet, ubi non maiorum meorum hostilia monumenta plurima sunt? aut qui squam nostri misereri potest, qui aliquando uobis hostis fuit? Neque uero haec siue orationis figura, siue sententiae forma ab oratoribus quidem obseruata, cultaq. est, a poetis autem uel ignorata, uel neglecta. agnoscitur eadem in Catullo, Cum Ariadnae, in ignoto litore a Theseo relictae, desperationem indicat his uersibus:

Nam quo me referam? quali spe perdita nitam?  
 Idaeos ne petam montes? an gurgite uasto  
 Discernens pontum truculentum ubi diuidit aequor?  
 An patris auxilium sperem? quem ne ipsa reliqui,  
 Respersum iuuenem fraterna caede secuta?  
 Coniugis an fido consolet memet amore?  
 Qui refugit lentos incuruans gurgite remos?  
 Quem locum Virgilius lib. IV. Didonis moriturae uocibus ita expressit:  
 En quid agam? rursus ne procos irrisa priores  
 Experiari? Nomadumq. petam connubia supplex,  
 Quos ego sum toties iam dedignata maritos?  
 Iliacas igitur classes, atque ultima Teucrum  
 Iussa sequar? quia ne auxilio iuuat ante leuatos,  
 Et bene apud memores ueteris stat gratia facti?

Imitatio fortasse e Sophocle ducta, qui ait in Aiac es:

Και νῦν τί γρηθ' ἰδρῶν, ὅστις ἐμφανὲς θεοῖς  
 Ἐχθαίρομαι, μισθὶ δ' ἐμὲ ἑλλήνων στρατός,  
 Ἐχθραὶ δ' ἐπὶ πόλι' ἅσασα, καὶ παῖδ' ἅ τ' ἀδ' ἔ-  
 πότ' ἔρα πρὸς ἑμούς. &c.

Similis illa sententia Demosthenis Olynth. I. Ἀν' δ' ἐκεῖνα Φικισπος λάβη τις αὐτὸν ἔτι καλῶσει θεῶ πο-  
 Καδίτην, ὄνθα οἱ μὴ λίαν πικρὸν εἶπεν ἢ, καὶ συνεσθ' ἀλοῦσιν ἑταίρους. ἀλλὰ φωνεῖς. οἱ τῶν οἰκείων οὐχ' οἱ οἱ  
 τε ὄντες φιλᾶσθην, ἐὰν μὴ συνδύσῃτε ὑμῖς, ἢ ἄλλος τις. **NON senatorium.** & reos nocentes punire. audit  
 enim senatus sociorum querellas: crimina uero iudicibus committit: admonet igitur Cicero iudices  
 officij sui. **FACILIOR est causa populi:** & facilius excusari populus potest. uestrum enim hoc munus  
 esse dicit: cum uos legi repetundarum, quam ipse iussit, praeposuerit. **IN VRBE nostra** & non in uil-  
 lis, sed locis publicis. **NE FALSA damnatio,** & Verris exemplo, qui nauarchos iniuste damnauit. **ISTA**  
 defendat: & quae ego obijcio, quae proxime nominari, fallam damnationem, carcerem, catenas. in-  
 ta: Si mihi respondere uoles, haec dicito, classem instructam, atque ornata fuisse. **ILLA cōmunia?**



me culpam fortunae assignate, calamitatem crimini dare. PERPETVO ꝑ classi per aliquot dies, socijs perpetuo: cum in eos, te permittente, imperium haberet. SUPERIORIBVSQ. diebus omnibus ꝑ aetuos dies sexaginta cum mulierculis in illo delicatissimo litore Vefres fuit. INTERCLVDERE per fugiū fortunae, ꝑ prohibere, ne culpam in fortunam conferas, ne ad fortunam excusandi sceleris tui causa con fugias. non ego hoc prohibeo. SOBENR ij fortunam sibi obijci nolle, ꝑ ego nullam tibi obijcio fortunam. noli queri, quod fortunam tibi obijciam. tamen si uelle debes eam tibi obijci; nolunt enim ij, qui se fortunae commiserunt: cui tu te non commisisti, nec in eius periculis uersatus es. CALAMITATIS tuae ꝑ quod amiseris classem populi Romani. VENEREM ꝑ quia mulieres eadem tibi cum alijs communes erant. Nicen Cleomenis, Pipam Aeschionis uxorem, Tertiam, Isidori mimi filiam, a Docimo perduc tam, praecipue significat. ideo lib. III. dixit de Aeschione, & Docimo: Veniunt Herbitam duo praetoris aemuli non molesti. Hoc autem libro aemulum praetoris Cleomenem bis appellauit. CRIMEN meum ꝑ quod a me tibi obijcitur. NON EGO metum ex re militari, ꝑ qui si tolleretur, periret omnis disciplina militatis. animaduerti igitur in eos milites, qui deliquerint, oportet: ut necessarius in te militari metus maneat. SEVERITATEM imperij, ꝑ quam, ut necessariam, salutaremq. proba. OPTIMAM nauem, ꝑ quadriremem Centuripinam. SI MIHI respondere uoles, haec dicito, ꝑ supra: Si quem forte inueneris, qui hoc nauale crimen conetur defendere: ista defendat.

## O R A T I O

**H**ic tu etiam dicere audebis, Est in iudicijs ille familiaris meus, est paternus amicus ille? non, ut quisque maxime est, quicquid tibi aliquid sit, ita tui huiusmodi criminis maxime tui pudet? Paternus amicus est. ipse pater si indicaret, per deos immortales quid facere posset, cum tibi haec diceret? Tu in prouincia populi Praetor, cum tibi maritimum bellum esset administrandum, Mamertinis, ex foedere quam deberent nauem, per triennium remisisti: tibi apud eosdem priuatiuam nauis oneraria maxima publice est aedificata: tu a ciuitatibus pecunias classi nomine coegisti: tu pretio remiges dimisisti: tu, cum nauis esset a quaestore, & ab legato capta praedonum, archipiratarum ab omnium oculis remouisti: tu, qui ciues esse dicebantur, qui a multis cognoscerebantur, securi ferire potuisti: tu tuam domum piratas abducere, in iudicium archipiratarum domo producere ausus es: tu in prouincia tam splendida, apud socios fidelissimos, ciues honestissimos, in metu periculoq. prouinciae, dies continuos complures in litore, conuiujsq. iacuisti: te per eos dies nemo domi tuae conuenire, nemo in foro uidere potuit: tu sociorum, atq. amicorum ad ea conuiuia matres familias adhibuisti: tu inter eiusmodi mulieres praetextatum tuum filium, ne potes meum, collocauisti, ut aetate maxime lubricae, atque incertae exempli nequitiae parentis uita praebere: tu praetor in prouincia cum tunica talari, pallioq. purpureo uisus es: tu, propter amoris libidinemq. tuam, imperium nauium legato populi ademisti, Syracusa no tradidisti: tui milites in prouincia Siciliae frugibus, frumentoq. caruere: tua luxuria, atque auaritia classis populi capta, & incensa est: post Syracusas condituras quem in portum numquam hostis acceperat, in eo te praetore primum piratae nauigauerunt: neque haec tot, tantaq. dedecora dissimulatione tua neque obliuione hominum, ac taciturnitate tegere uoluisti, sed etiam nauium praefectos, sine ulla causa, de complexu parentum suorum, hospitum tuorum, ad mortem cruciatuq. rapuisti; neque in parentum lactu, atque lacrymis te mei nominis commemoratio mitigauit: tibi hominum innocentium sanguis non modo uoluptati, sed enim quae stui fuit. Haec si tibi tuus parens diceret, posses ab eo ueniam petere? posses, ut tibi ignosceret, postulare? Satis est factum Siculis, satis officio, ac necessitudini, in-

dicis, satis promisso nostro, ac muneri recepto. reliqua est ea causa, iudices, quae non iam recepta, sed imata, neque delata ad me, sed in anima, sensuq. meo penitus affixa, atque insita est: quae non ad sociorum salutem, sed ad ciuium R. hoc est ad uniuscuiusque nostrum uitam, & sanguinem pertinet. in qua nolite a me, quasi dubium sit aliquid, argumenta, iudices, expectare. omnia, quae dicam de supplicio ciuium R. sic erunt clara, & illustria, ut ad ea probanda totam Siciliam testem adhibere possim. furor enim quidam, sceleris & audaciae comes, istius effrenatum animum, importunamq. naturam tanta oppressit amentia, ut numquam dubitaret in conuentu palam supplicia, quae in conuictos maleficio seruos conflunt a iure, ea in ciues R. exprimere. uirgis quam multos ceciderit, quid ego commemorem? tantum breuissime dico, iudices: nullum fuit omnino isto praetore in hoc genere discrimen: itaque iam consuetudine ad corpora ciuium R. etiam sine istius nutu ferebatur manus ipsa licitoris. Num potes hoc negare, Verres in foro Lilybaei maximo conuentu, C. Seruilium, ciuem R. e conuentu Panhormitano ueterem negotiatorem, ad tribunal, ante pedes tuos, ad terram uirgis & uerberibus abiectionis? aude hoc primum negare, si potes: nemo Lilybaei fuit, quin uiderit; nemo in Sicilia, quin audierit. plagis confectum, dico, a licitoribus tuis ciuem R. ante oculos tuos cecidisse: ob quam causam, diu immortales? tamen si iniuriam facio communi causae, & iniuriam ciuitatis. quasi enim possit esse ulla causa, cur hoc cuiquam ciui R. iure accidat, ita quaero, quae in Seruilio causa fuerit. ignoscite in hoc uno, iudices: in ceteris enim non magno opere causas requiram, locutus erat liberior de istius improbitate, atq. nequitia. quod isti simul ac renunciatum est, hominem iubet Lilybaeum uadimonium uenerio seruo promittere. promittit. Lilybaeum uenire. cogere cum coepit, cum ageret nemo, nemo postularet, H. S. duobus millibus sponsonem facere cum licitore suo, ni furti quaestum faceret. recuperatores de cohorte sua dicit daturum. Seruilius & recusare, & deprecari, ne iniquis iudicijs, nullo aduersario, iudicium capitis in se constitueretur. haec cum maxime loqueretur, sex licitores circumstant ualensissimi & ad pulsandos uerberandosq. homines exercitissimi: caedunt acerrime uirgis, deniq. proximus licitor, de quo

de quo saepe iam dixi, Sextius, conuerso bacillo oculos  
 misero tunderi uehementissime coepit. itaque illi cum  
 sanguis os, oculosq. compleset, conecidit; cum illi nihilo  
 minus iacenti latera tunderentur; ut al quando spodere  
 se diceret. sic ille affectus, illinc tum pro mortuo subla-  
 tus, breui postea est mortuus. iste autem, homo Vene-  
 rius, & affluens omni lepore, & uenustate, de bonis il-  
 lius in aede Veneris argentum Cupidinem posuit. etia  
 fortunis hominum abutabatur ad nocturna nota cupidi-  
 tatum suarum. Nam quid ego de ceteris ciuium R. sup-  
 plicis sigillatim potius, quam generatim, atque unuer-  
 se, loquar? carcer ille, qui est a crudelissimo tyranno  
 Dionysio factus Syracusis, quae Lautumiae uocantur,  
 in istius imperio, domicilium ciuium R. fuit, ut quisque  
 istius animus, aut oculos offenderat, in Lautumias sta-  
 tim conijciebatur. Indignu hoc uideo uideri omnibus  
 iudices; & id iam priore actione, cum haec testes dice-  
 rent, intellexi. retineri enim putatis oportere iura li-  
 beratis non modo hic ubi tribuni pl. sunt, ubi ceteri ma-  
 gistratus, ubi plenum forum iudiciorum, ubi senatus au-  
 thoritas, ubi existimatio populi R. & frequentia; sed,  
 ubicumque terrarum, & gentium uelatum ius ciuium  
 R. sit. Statuitis id pertinere ad communem causam li-  
 bertatis, & dignitatis. In exterrorum hominum, &  
 maleficorum sceleratorumq. in praedonum, hoc est, in q.  
 custodias tu tantum numerum ciuium R. includere au-  
 sus es? numquam ne tibi iudicij, numquam concionis,  
 nunquam huius tantae frequentiae, quae nunc animo te  
 iniquissimo infestissimoq. intuetur, uenit in mentem? nu-  
 quam tibi populi R. absens dignitas, uerumquam species  
 ipsa huiusmodi multitudinis in oculis, animoq. uersa  
 est? numquam te in horum conspectum rediturum,  
 nunquam in forum populi R. uenturum, nunquam sub  
 legum & iudiciorum potestatem casurum esse putasti?  
 At quae erat ista libido crudelitatis exercendae? quae  
 rei seclerum suscipiendorum causae nulla, iudices, prae-  
 ter praedandi nonam singularemq. rationem. nam, ut  
 illi, quos a poetis accepimus, sinus quosdam obsidisse  
 maritimos, aut reliqua promontoria, aut praerupta sa-

xa tenuisse dicuntur, ut eos, qui essent, appulsi nau'gij,  
 interficere possent: sic iste in omnia maria infestus ex  
 omnibus Siciliae partibus imminabat. quaecumque na-  
 uis ex Asia, quae ex Syria, quae Tyro, quae Alexan-  
 dria uenerat, statim certis indicibus, & custodibus te-  
 nebatur: uectores omnes in Lautumias conijciebantur:  
 onera, atque merces in praetoriam domum deferreban-  
 tur. uersabatur in Sicilia longo intervallo. non Diony-  
 sius ille nec Phalaris, (tulit enim illa quodam insula  
 multos, & crudeles tyrannos.) sed quoddam nouum  
 monstrum, ex uetere illa immanitate, quae in istem  
 uersata a locis dicitur. no enim Charybdin tam infesta,  
 neque Scyllam nauis, quam istum in eode fretu fuisse  
 arbitror, hoc etiam iste infestior, quod multo se pluri-  
 bus, & maioribus canibus succinxerat. Cyclops alter,  
 multo importunior. hic enim totam insula obtinebat:  
 ille Aetnam solam, & eam Siciliae partem tenuisse  
 dicitur. At quae causa tum subijciebatur ab ipso, iu-  
 dices, huius tam nefariae crudelitatis & eade, quae nunc  
 in defensione commemorabitur. quicumque accesserant  
 ad Siciliam, paullo pleniores, eos Sertorianos milites  
 esse, atque a Dianio fugere dicebat. illi ad deprecandu  
 periculum proferebat alij purpuram Tiriā, tibus alij,  
 atque odores, ut stemq. lineam, gemmas alij, & marga-  
 ritas, uina nonnulli Graeca, uenalesq. Asiaticos: ut in-  
 te uulgaretur ex mercibus, quibus ex locis nauigarent,  
 non intelligebant, eas ipsas sibi causas esse periculi,  
 quibus adiumentis se ad salutem uti arbitrabatur. iste  
 enim haec eos ex piratarum societate adeptos esse dice-  
 bat: ipsos in Lautumias abduci imperabat. naues eoru  
 atque onera diligenter asseruanda curabat. his instituti-  
 tis, cum completus iam mercatorum carcer esset, tum  
 illa fiebant, quae L. Suetium, equitem R. lectissimum  
 uirum, dicere audistis, quae ceteros audietis. ceruices  
 in carcere frangebantur indignissime ciuium R. ut etia  
 illa uox, & illa imploratio, Cuius R. sum, quae saepe  
 multis in ultimis terris opem inter barbaros, & salu-  
 tem tulit, ea mortem illis acerbiozem, & supplicium  
 maturius feret.

EXPLANATIO

Hic tu etiam dicere audebis, & modus admirationis ostendendae. non sine reprehensione quadam,  
 Hic supra; Hic mihi etiam audebit mentionem facere Mamerinae laudationis. Pro Archia: Hic  
 tu tabulas Heraclensium requiris scilicet. In ep. ad Luceium; Hic tu ea me habesse urbe miraris, in  
 qua domum nihil delectare possit, summum sit odium temporum, hominum, fori, curiae: Quid  
 tibi aliquid sit, & non negotij, sed consuetu linis, & amicitiae. id enim hoc loquendi modo significa-  
 ti, exemplis intelligitur. in ep. ad Memmiam lib. XIII. Cum Patrone Epicureo mihi omnia sunt, nisi  
 quod in philosophia uehementer ab eo dissentio. Et ad C. Marcellum lib. XV. Si mihi tecum minus  
 esset, quam est cu tuis omnibus; allegarem ad te illos. a quibus intelligis me praecipue diligi. Et in ep. ad  
 Att. lib. XII. Mihi ante aedilitatem meam nihil erat cum Cornificio. Ad eundem lib. XIV. Bruto certe  
 tuo nihil deero: idque, etiam si mihi cum eo nihil fuisset, facerem propter eius singularem eximiamq.  
 uirtutem. Quid facere posset, fore speras, ut, qui paternus amicus est, is te absoluat: at, si pater ipse iu-  
 dicaret absolueret te non posset, praesertim ut tibi haec diceret, quasi se excusans, quod te danare cogere  
 tur. A quaestore, & ab legato? quaestore Tadio legato Caesetio, supra nominatis. Potuisti: &  
 pro, ausus es: adduci potuisti, ut ciues Romanos securi ferires. In iudicium? cum eu domi tuae es-  
 se, in iplo iudicio confessus es. supra: Domi esse apud sese archipiratas dixit duos; Dies continuos coplures &  
 sexaginta. supra. In litore? in amocna, & ab arbitris remota litoris parte, quae Aeta uocatur: ut supra.  
 Domi tuae? quae fuerat Hieronis regis, in ea Syracularu parte, quae Insula dicebatur. supra. Matres  
 familias? Aelchionis uxorem Pipam, Cleomenis Nicen. LVBRICAE? quae suae sponte, propter inopia  
 consilij, facile in uitia labitur, eo magis, si exempla nequitiae parentis uita praebat. Legato populi  
 Romani? huius loci testimonio, legatum potius, quam quaestorem, praesse classi debuisse, cognosci-  
 tur:

NN

tur: cum tamen quaestorem simul cum legato praefuisse, supra demonstratum sit. SYRACUSANO; Cleomeni. LUXURIA; quia, neglecta classe, delicatissimo in litore cum mulierculis conuiuia faciebas. AVARITIA; quia milites, & nauas pretio dimisisti. HOSPITVM tuorum; Dexionem significat cuius filium Aristicum Verres secuti percussit. PROMISSO muneri, ac recepto; quod auget: plus enim est. Recipere, quam Promittere. Alij, Promisso nostro, ac muneri recepto. quod uideatur esse lauguidius. NONIAM recepta, sed innata, neque delata ad me, sed in animo, sensuq. meo penitus affixa, atque insita est: & similis figura pro Milone, paullo etiam splendidior, ac plenior: Est enim haec, iudices, non scripta, sed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus, uerum ex natura ipsa arripimus, haufimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti non instituti, sed imbuti sumus; ut, si uita nostra in aliquas infidias, si in uim, in tela aut latronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendae salutis. FVRROR enim quidam, sceleris, & audaciae comes, & ut in Oreste, & Alcmaeone, matricidis, inde illa pro Amerino: Nolite putare, quemadmodum in fabulis saepe numero uideris, eos, qui aliquid impie scelerateq. commiserint, agitari & perterriti furiarum tedis ardentibus. sua quemque fraus, & suus terror maxime uexat: suum quemque scelus agitat, amentiaq. afficit: suae male cogitationes, conscientiaeq. animi terrent. IN CONVENTV; Conuentus dicitur ciuium Romanorum in prouincia negotiantium. SVPLICIA, & crucem. CVR hoc cuiquam ciui Romano iure accidat, & uetabatur enim lex Porcia. CONVERSO bacillo, & conuersa uirga: ut, a qua parte firmior erat, grauius percuteret. Homo Venerius, & qui Venerem praecipue coleret. sic eum lib. II. per irrisionem appellat. DIONYSIO; prioris, eius patre, qui regno pulsus Corinthi ludum aperuit, ut aliquam regni specie[m] saltem inter pueros obtineret. DOMICILIVM; cum in eo carcere & ita diu, & ita multi essent ciues Romani, ut ibi profusus habitare uiderentur. OMNIBVS; malim, Vobis, aut, Vobis omnibus. TRIBVNI pl. & ideo creati, ut populi Romani iura, libertatemq. defenderent. CONCIONIS, in qua tribuni pl. de tuis sceleribus acturi essent. HORVM; populi Romani, qui ad iudicium audiendi studio conuenerat. VT ILLI; Laestrigones: de quib. Homerus, Plinius, Gellius. EX VETERE illa immanitate, & Charybdis, & Scyllae, quae poetae monstra fuisse finxerunt. CANIBVS; quos poetae Scyllae tribuunt, non Charybdi. Canes Verris nominat eos, quos ille, iisdem furtis alebat: de quibus lib. I. Multa sibi opus esse, multa canibus suis, quos circa se haberet. Et lib. III. Horum canum, quos tribunal meum uides lambere. SVCCINERAT; & uisus est eodem uerbo, quo Lucretius lib. V.

Aut rapidis canibus succinctas semi marinis.

Corporibus Scyllas. Nec aliter postea Virgilius lib. VI.

- Syllam Nisi, quam fama secuta est,

Candida succinctam latrantibus inguina monstribus,

Dulichias uexasse rates. Et Ouidius lib. XIII. Met.

Illam fetis atram canibus succingitur aluum,

Virginis ora gerens.

SERTORIANOS; itaque proscripitos a senatu, nam Sertorium senatus, ut hostem reip. proscripsit. A DIANIO; Hispaniae op. do, quod Sertorius tenebat.

## ORATIO

QVID est, Verres? quid ad haec cogitas respondere? num mentiri me? num fingere aliquid? num augere crimen? num quid horum dicere? istis defensoribus tuis audes? Cedo mihi quaeso, ex ipsius sinu literas Syracusanorum, quas iste ad arbitrium summum confectas esse arbitratur. cedo rationem carceris, quae diligentissime conficitur, quo quisque die datus in custodiam, quo mortuus, quo necatus sit. LITTERAE. SYRACUSANORVM. Videtis ciues R. gregatim coniectos in Lautumias: uidetis indignissimo loco coaceruata[m] multitudinem uestrorum ciuium. quaerite nunc ue stigia, quibus exitus illorum ex illo in loco compareat: nulla sunt. omnes ne mortui? si ita posset defendere, tamen fides huic defensionem non haberetur. sed scriptum exstat in iisdem literis, quod iste, homo barbarus, ac dissolutus, neque attendere umquam, neque intelligere potuit. *ἰδὲ τὸν δὲ*, inquit ut Siculi loquuntur, hoc est, supplicio affecti, ac necati sunt. Si quis rex, si qua ciuitas exterarum gentium, si qua natio fecisset aliquid in ciuem R. eiusmodi, non ne publice uindicaremus? non bello persequeremur? possemus hanc iniuriam, ignominiamq. nominis R. inultam, impuuit amq. dimittere?

quot bella maiores nostros, et quanta suscepisse arbitramini, quod ciues R. iniuria affecti, quod nauicularij retenti, quod mercatores spoliari dicerentur? at ego retentis non queror: spoliatos ferendum puto: nauibus, mancipijs, mercibus ademptis in uincula coniectos esse mercatores, & in uinculis ciues R. necatos esse, arguo. Si haec aptud Scythas dicerem, non hic in tanta multitudinem ciuium R. non apud senatores leuissimos ciuitatis, non in foro populi R. de tot & tam acerbis supplicijs ciuium Romanorum; tamen animos etiam barbarorum hominum permouerem. tanta enim huius imperij amplitudo, tanta nominis R. dignitas est apud omnes nationes, ut ista in nostros homines crudelitas nemini concessa uideatur. Num ego tibi ullam salutem, ullum perfugium putem, cum te implicatum seueritate iudicium, circum retitum frequentia populi R. esse uideam? si mebercules, id quod fieri intelligo non posse, ex his laqueis te exsueris, ac te aliqua ui ac ratione explicaris; in illas tibi maiores plagas incidendum est, in quibus te ab eodem me, superiore ex loco confici, & concidi necesse est. Cui si etiã, id quod defendis, uelim concedere: tamen illa ipsa defensio non minus esse ei perniciosa, quam

sa, quam mea uera accusatio, debeat. quid enim defendit? ex Hispania fugientes se excepisse, & supplicio affecto dicit. quis tibi id permisit? quo id iure fecisti? quis idem fecit? qui tibi id facere licuit? foris pleni, & basilicas istorum hominum uidemus, et animo aequo uidemus. ciuili enim dissensionis, & sine amicitiae, sine fatis, sen calamitatis non est iste molestus exitus: & reliquos saltem ciues in consulibus, translatorum quaesturae, auesor pecuniae publicae, tantum sibi auctoritatis in rep. suscipit, ut, quibus hominibus per senatum, per populum Romanum, per omnes magistratus in foro, in suffragiis in hac urbe, in rep. uersari liceret, iis omnibus mortem acerbam crudeliter proponeret. & fortuna eos ad aliquam partem Siciliae detulisset. Ad Cn. Pompeium, clarissimum uirum, & fortissimum, permulti, occiso Perperna, ex illo Sertoriano numero militum confugerunt. quem non ille summo cum studio saluum, incolumemque seruauit? cui ciui supplicii non illa dextera in uincta & fidei porrexit, & spem salutis ostendit? Ita ne uero? quibus fuit portus apud eum, contra quem arma tulerunt? iis apud te, cuius nullum in rep. unquam monumentum fuit, mors, & cruciatus erat constitutus? Vide, quam commodam defensionem ex cogitatis. malo mehercules id quod tu defendis, his iudicibus, populoque R. quam id, quod ego infirmulo, probari malo, inquam, te isti generi hominum, quam mercatoribus, & nauiculariis, inimicum, atque infestum putari. meum enim crimen auaritiae te nimiae coarguit: tua defensio furoris cuiusdam, & immanitatis, & inauditae crudelitatis, & paene nouae proscriptio- nis. Sed non licet me isto tanto bono, indices, uti, non licet. adsumt enim Puteoli totum, frequentissimi uenerunt ad hoc iudicium mercatores, homines locupletes, atque honesti; qui partim socios suos, partim libertos ab isto spoliatos, in uincta coniectos, partim in uinctis necatos, partim securi percussos esse dicent. Hic, uide quam me sis usurus aequo. cum ego P. Cranium te

stem produxero, qui suos libertos atque securi percussos esse dicat, qui a te nauem suam, mercesque repetat: resellito, si poteris: meum testem deseram, tibi fanebo, te, inquam adinuabo: ostendito, illos cum Sertorio fugisse, a Dianio fugientes ad Siciliam esse delatos. nihil est, quod te malim probare. nullum enim facinus, quod maiore supplicio dignum sit, reperiri, neque proferrari potest. reducam interum equitem R. L. Flauium, si uoles: quoniam priore actione, ut patroni tui dicebant, noua quadam sapientia, ut omnes intelligunt, conscientia tua, atque auctoritate meorum testium, testem nullum interrogasti: interrogetur Flauius, si uoles, quinam fuerit L. Herennius is, quem ille argentariam Lepti fecisse dicit; qui cum amplius centum ciues R. haberet ex conuentu Syracusum, qui cum non solum cognoscerent, sed etiam lacrymantes ac te implorantes defenderent, tamen a te inspectantibus omnibus Syracusanis, securi percussus est. Hunc quoque testem meum reselli, & illum Herennium Sertorianum fuisse, abs te demonstrari, & probari uolo. quid de illa multitudine dicemus eorum, qui capitibus inuolutis, in piratarum capti- uorumque numero producebantur, ut securi ferrentur? Quae ista noua diligentiae quam ob causam abs te excogitata? an te L. Flauii, ceterorumque de L. Herennio uociferatio commouebat? an M. Anni, grauissimi, atque honestissimi uiri summa auctoritas paullo diligentio- rem, timidioremque fecerat? qui nuper pro Te- simonio, non aduenam nescio quem, nec alienum, sed eum ciuem R. qui omnibus in illo conuentu notus, qui Syracusis natus esset, a te securi percussus esse dixit. post hanc illorum uociferationem, post hanc communem famam, atque querimoniam non mittit in supplicio, sed diligentior esse coepit: capitibus inuolutis ciues R. ad necem producere instituit: quos tamen iccirco necabat palam, quod homines in conuentu, id quod antea diximus, nimium diligenter praedonum numerum requirebant.

EXPLANATIO

EX IPSIS SINU & castoditas a Verre; quasi ei profuturas essent in iudicio. LITTERAS & tabulas publicas. AD ARBITRIUM SUMMUM & quia uerbum Graecum, *ἐπιδικασίας*, non intellexit. non enim ualet, mortui sunt, ut ipse credidit homo barbarus, sed supplicio affecti, ac necati sunt. NEQUE attendere unquam, neque intelligere potuit. & neque attendere unquam potuit, quia dissolutus, & negligens; neque intelligere, quia barbarus, & indoctus. UT SICULI loquentur, & notat Siculos, Graeca lingua mendose utentes, nam, *ἐπίδικασίας*, non modo Attici, sed nec omnino e ceteris Graecis quisquam diceret. QVOD nauicularii ueremi, quod mercatores spoliati dicerentur. & idem pro lege Manilia; Maiores, ueltri saepe mercatoribus ac nauicatoribus iniuriosus tractatis, bella gesserunt. Herenti & Spoliati, ad augendam Verriis culpam dixit, qui non retinuerat, aut spoliauerat, sed nauibus, mancipijs, mercibus ademptis, mercatores in uincta coniecerat. MAIORES plagas & apud populum Romanum, a gente eodem me. Plagas, dixit, ut in translatione, persisteret. iam enim dixerat, Laqueis, Exsueris, Vi, Explicaris: & subiungit ex eodem genere, Incidendum, Confici, Concidi: quasi de fera loquatur; quae iam e laqueis elapsa, maiores plagas effugere non possit. SUPERIORE ex loco & e Rostris, in quibus aedilis accusabo te de maiestate. IN QVOD defendit, & ciues quidem Romanos, sed Sertorianos milites fuisse. ISTORVM hominum & qui cum pro Sertorio, Marianisque partibus pugnauerint, clementia tamen sanatus, populi Romani reditum in patriam impetrarunt. CIVILIS enim dissensionis, & prudenter belli nomen cuitat, quo leuior eorum culpa uideatur, quibus incolumitatem recte donatam esse defendit. quae ratio Verriis defensionem infirmat. IN SUFFRAGIIS, & non tamen in magistratibus. nam proscriptorum etiam filios. lege lata uictor Sulla petendorum magistratum potestate priuauit. in Pisonem, & alibi, Cn. Pompeium, & qui cum Metello Pio, Numidici filio, contra Sertorium pugnauit. PERPERNA & Sertoriani belli duce, qui Sertorium ipsum fraude occiderat. Plutarchus, alij.



MONUMENTVM ꝛ signum animi tui, non modo meritum, aut factum insigne. QVAM commo-  
dam ꝛ ironia. ID QVOD tu defendis, ꝛ excepisse te, & necesse Sertorianos milites, ex Hispania fu-  
gientes. QVOD ego in simulo, ꝛ mercatores a te ademptis nauibus, mancipijs, mercibus, in uincula con-  
iectos. quod auaritia tantum crimen est. ISTI generi hominum, ꝛ Sertorianis militibus. supra quo-  
que dixit, Istorum hominum: quos, patriam adeptos, non tamen amari admodum a iudicibus senatoribus,  
qui Sullanarum partium fuerant, intelligebat. NOVAE ꝛ quod una Sullae proscrizione contentus no-  
sis. ISTO tanto bono ꝛ cuperem enim, hanc defensionem tuam, quae te auaritia liberat, inauditaē cri-  
delitatis arguit, probari iudicibus, & populo Romano. VT PATRONI tui dictitant, noua sapientia; ut om-  
nes, intelligunt, conscientia tua, atque auctoritate meorum testium, ꝛ similis figura initio lib. IV. Venio nunc  
ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium; ut amici eius, morbum, & insaniam; ut Siculi, la-  
trocinium. Conscientia tua: cum scires, quidquid in te, si interrogarentur, dicerent, id ita ue-  
rum esse, ut, refelli nullo modo posset. Auctoritate: eiusmodi uirorum, quos mentiri posse ne-  
mo duceret. TESTEM nullum interrogasti: ꝛ mos erat, ut, quos accusator testes produxerat, ab reo in-  
terrogarentur: Verres autem, uel testium auctoritate commotus, uel conscientia sua deterretus, nullum  
interrogauit. de quo sunt illa lib. III. Quibus rebus id assecutus es: innocentia? adspice aedem Castoris  
deinde, si audes, fac mentionem innocentiae. diligentia? codicis lituras tui contemplare in Sthenij  
Thermitani nomine: deinde aude te dicere diligentem. ingenio? qui testes interrogare priore actione  
nolueris, & ijs tacitum os tuum praebere malueris, quantumuis & te, & patronos tuos ingeniosos esse  
dicito. PROBARI uolo. ꝛ refellito, si uoles. Fingit se fauere Verri in refutandis testium dictis, quos mi-  
nime refutari posse non ignorat. CAPITIBVS inuolutis ꝛ neciues Romani cognoscerentur. supra,  
NOVA diligentia? ꝛ ut producerentur capitibus inuolutis.

## O R A T I O

HAECINE populi R. te praetore est constituta  
condicio? haec negotij gereadi spes? hoc capitis,  
uitaeq. discrimen? parum ne multa mercatoribus sunt  
necessario pericula subeunda fortunae, nisi etiam hae for-  
midines ab nostris magistratibus, atque in nostris pro-  
uincijs impendebunt? ad eam ne rem fuit haec suburba  
na ac fidelis prouincia Sicilia, plena optimorum socio-  
rum, & honestissimorum ciuium R. quae ciues R. omnes  
suis ipsa sedibus libentissime semper accepit, ut, qui us-  
que ex ultima Syria, atque Aegypto nauigaret, qui ap-  
ud barbaros propter togae nomen in honore aliquo  
fuisset, qui ex praedonum insidijs, qui ex tempestatum  
periculis profugissent, in Sicilia securi ferirentur, cum  
se iam domum uenisse arbitrarentur? Nam quid ego de  
P. Gaio. Consano municipe, dicam, iudices? aut qua ui-  
uocis, qua grauitate uerborum, quo dolore animi dica-  
t amet si dolor me non deficit: ut cetera mihi in dicendo  
digna re digna dolore meo suppetant, magis elaboran-  
dum est. quod crimen eiusmodi est, ut, cum primum ad  
me delatum est, usurum me illo non putarem: tamen si  
enim uerissimum esse intelligebam, tamen credibile fo-  
re non arbitrabar. coactus lacrymis omnium ciuium R.  
qui in Sicilia negotiantur, adductus Valentinorum, ho-  
minum honestissimorum, testimonijs, omniumq. Rhegi-  
norum, multorum equitum R. qui casu tum Messanae  
fuerunt, dedi tantum priore actione testium, res ut ne-  
mini dubia esse posset. quid nunc agam? cum iam tot ho-  
ras de uno genere, ac de istius nefaria crudelitate di-  
cam; cum prope omnem uim uerborum eiusmodi, quae  
scelere istius digna sunt, alijs in rebus consumpserim;  
neque hoc prouiderim, ut uarietate criminum uos at-  
tos tenerem; quemadmodum de tanta re dicam? opi-  
nor, unus modus, atque una ratio est. rem in medio po-  
nam: quae tantum habet ipsa grauitatis, ut neque mea,  
quae nulla est, neq. cuiusquam ad inflammandos uestros  
animos eloquentia requiratur. Gaius hic, quem dico,  
Consanus, cum illo in numero ab isto in uincula coiectus  
esset, et nescio qua ratione clam e Latonijs, profugisset,  
Messanamq. uenisset; qui prope iam Italiam, & moe-

nia Rheginorum uideret, & ex illo metu mortis ac re-  
nebris, quasi luce libertatis, & odore aliquo legum re-  
creatus reuixisset, loqui Messanae coepit, & queri,  
se ciuem R. in uincula esse coniectum, sibi recta iter esse  
Romam, Verri se praesto aduenienti futurum. non in-  
telligebat miser, nihil interesse, utrum haec Messanae,  
an apud ipsum in praetorio loqueretur. na, ut ante uos  
docui, hanc sibi iste urbem delegerat, quam haberet ad  
intricem scelerum, furtorum recepticem, flagitiorum  
omnium sociam, itaque ad magistratum Mamertinum  
statim deducitur Gaius: eoq. ipso die casu Messanam  
Verres uenit. res ad eum defertur, esse ciuem R. qui se  
Syraculis in Latonijs fuisse quereretur: quem iam in-  
gredientem nauem, & Verri nimis atrociter minitan-  
tem, a se retractum esse, & asseruatum, ut ipse in eum  
statueret, quod uideretur. agit hominibus gratias, &  
eorum erga se beneuolentiam diligentiamq. collaudat.  
ipse inflammatus scelere, & furore, in forum uenit. ar-  
debant oculi: toto ex ore crudelitas eminebat: exspe-  
ctabant omnes, quo tandem progressurus, aut quidnam  
acturus esset: cum repente hominem proripi, atque in  
foro medio nudari, ac deligari, & uirgas expediti iu-  
bet. clamabat ille miser, se ciuem esse R. municipem  
Consanum, meruisse se cum L. Pretio, splendidissimo e-  
quite R. q. Panbormi negotiaretur, ex quo haec Verres  
scire posset. tum iste se comperisse ait, cum speculandi  
causa in Siciliam ab ducibus fugitiuorum esse missu:  
cuius rei neque index, neque uestigium aliquod, neq. su-  
spicio cuiquam esset ulla. deinde iubet undique hominem  
proripi, uehementissimeq. uerberari. Caedebatur uir-  
gis in medio foro Messanae ciuis R. iudices, cum inter-  
ea nullas gemitus, nulla uox alia illius miseri inter do-  
lorem, crepitumq. plagarum audiebatur, nisi haec, Ci-  
uis R. sum. haec se commemoratione cuius omnia uer-  
bera depulsurum, cruciatum a corpore deiecerum ar-  
bitratur. is non modo hoc non perfecit, ut uirgarum  
uim deprecaretur; sed cum imploraret saepius, usurpareq.  
nomen ciuitatis, crux, crux, inquam, infelici, & aeterni  
nosso, qui nunquam istam potestatem uiderat, compa-  
rabatur.

rabatur. O nomen dulce libertatis: o ius eximium nostrae civitatis: a lex Porcia, legesque Semproniae: o graviter desiderata, et aliquando reddita plebi Romanae tribunicia potestas: buccina tandem omnia reciderunt, ut civis Romanus in provincia populi Romani foederatorum, ab eo, qui beneficio populi Romani fasces et securas haberet, deligatus in foro virgibus caederetur? quid, cum ignes, candentesque laminae, ceteraque cruciatus admonebantur? Si te illius acerba imploratio, et vox miserabilis non tibi debet, ne civium quidem Romanorum, qui tunc aderant, fletu, et gemitu maximo commouebare? in crucem tu agere ausus es quemquam, qui se civem Romanum esse diceret? Nobis tam vehementer agere hoc prima aestione, iudices, nolui. vidistis enim, ut animi multitudinis in istum dolore, et odio, et communis periculi metu concitarentur. statui egomet mihi tum modum orationi meae, et C. Numitorio, equiti Romano primario homini, testi meo: et Glabrio, idem, quod sapientissime fecit, facere laetatus sum, ut repente consilio in medio testem dimitteret. etenim verebatur, ne populus Romanus ab isto eas poenas ut repetisse videretur, quas, utriusque esset, ne iste legibus, et vestro iudicio non esset perfoluturus. Nunc quoniam iam exploratum est omnibus, quo loco caussa tua sit, et quid de te futurum sit; sic tecum agam: Gaium istum, quem repetitum speculatorem fuisse dicis, ostendam in Lautumias Syracusis ac esse coniectum: neque id solum ex literis ostendam Syracusanorum, ne possis dicere me, quia sit aliquis in literis Gaius, hoc fingere et eligere nomen, ut hunc illum esse possim dicere: sed secundum arbitrium tuum testes dabo, qui istum ipsum Syracusis abs te in Lautumias coniectum esse dicant, producam etiam Consanos, municipes illius, ac necessarios, qui te nunc sero doceant, iudices non sero, illum P. Gaium, quem tu in crucem egisti, civem Romanum et municipem Consanum, non speculatorem fugitivum fuisse. cum haec omnia, quae polliceor, cumulate tuis proximis plana fero: tum istuc ipsum tenebo, quod abs te mihi datur; eo contentum me esse dicam. quid enim nuper tu ipse, cum populi Romani clamore atque impetu perturbatus exsiluisti, quid, inquam, locutus es et illum, quod moram supplicio quaereret: ideo clamat abs se esse civem Romanum, sed speculatorem fuisse: iam mei testes veri sunt. quid enim dicit aliud C. Numitorius, quid M. et P. Curtii, nobilissimi homines, ex agro Tauro-mitano? quid Q. Luccius, qui argentariam Rhegi maximam fecit? quid ceteri? adhuc enim testes ex eo genere a me sunt dati, non qui non esse Gaium, sed qui se vidisse dicerent, cum is, qui se civem Romanum esse clamaret, in crucem ageretur, hoc tu, Verres, idem dicis, hoc tu confiteris, illum clamit abs se civem esse Romanum; apud te nomen civitatis ne tantum quidem ualuisse, ac dilationem aliquam crucis, ut crudelissimi raverri, supplicij aliquam partem moram saltem posset asserre, hoc teneo, hic haereo, iudices, hoc sum contentus: imo: omitto, ac negligo cetera: sua confessione induatur, ac iuguletur, necesse est. Qui esset, ignorabas? speculatorem esse suspicabare? non quaero, qua suspicione: tua te accuso oratione, civem Romanum esse dicebat. si tu apud Persas, aut in extrema India deprehensus Verres, ad supplicium ducerere; quid aliud clamitares, nisi te civem esse Romanum? et si tibi ignoto apud ignotos, apud barbaros, apud homines in extremis

atque ultimis gentibus positos, nobile et illustre apud omnes nomen tuae civitatis profuisset: ille, quisquis erat, quem tu in crucem rapiebas, qui tibi esset ignotus, cum civem se esse diceret, apud te praetorem si non effugium, ne mora quidem mortis mentione atque usurpatione civitatis assequi potuit? et homines tenues, obscuro loco nati, navigant: adeunt ad ea loca, quae nunquam antea viderunt: ubi neque noti esse ipsi, quo venerunt, neque semper cum cognitoribus esse possunt: hac una tamen fiducia civitatis non modo apud nostros magistratus, qui et legum, et existimationis periculo continentur, neque apud cives solum Romanos, qui et sermonis, et iuris, et multarum rerum societate iuncti sunt, fore se tutos arbitrantur; sed, quocumque venerint, hanc sibi rem praesidio sperant esse futurum. tolle hanc spem, tolle hoc praesidium civibus Romanis: constitue, nihil esse opis in hac voce Civis Romani sum; posse impune praetorem, aut alium quemlibet supplicium, quod velit, in eum constitueri, qui se civem Romanum esse dicat? quod quis ignoret: iam omnes provincias, iam omnia regna, iam omnes liberas civitates, iam omnem orbem terrarum, qui semper nostris hominibus maxime patuit, civibus Romanis ista defensione praeculeris. Quid, si L. Praetium, equitem Romanum, qui tunc in Sicilia negotiatur, nominabat? etiam ne id magnus fuit, Panhormum litteras mittere; asservasse hominem, custodisse. Mamertinorum tuorum iunctum; clausum habuisse, dum Panhormo Praetium veniret? cognosceret hominem: aliquid de summo supplicio remitteres, si ignoraret, tum, si tibi videretur, hoc iuris in omnes constitueres, ut qui neque tibi notus esset, neque cognitorem locupletem daret, quavis civis Romanus esset, in crucem tolleretur. Sed quid ego plura de Gaudio? quasi tu Gaudio tu fueris infestus: ac non nomini, generi, tui civium hostis: non illi, inquam, homini, sed caussae communi libertatis inimicus fuisti, quid enim attinuit, cum Mamertini more atque instituto suo crucem fixissent post urbem, in via Pompeia, te iurare in ea parte figere, quae ad fretum spectare, et hoc addere, quod negare nullo modo potes, quod omnibus audientibus dixisti palam, te iccirco illum locum deligere, ut ille, qui se civem Romanum esse diceret, ex cruce Italia cernere, ac domum suam prospicere posset? itaque illa crux sola, iudices, post conditam Messanam illo in loco fixa est. Italiae conspectus ad eam rem ab isto delictus est, ut ille in dolore cruciatuque moriens, per angustum fretum diuisa servitutis ac libertatis iura cognosceret; Italia autem alumnum suum, servitutis extremo summoque supplicio affectum videret? Facinus est, vincire civem Romanum, et verberare: prope parricidium, necare: quid dicam, in crucem tollere? verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest, non fuit his omnibus isto contentus, spectet, inquit, patriam: in conspectu legum libertatisque moriatur. Non tu hoc loco Gaium, non unum hominem nescio quem civem Romanum, sed communem libertatis, et civitatis causam in illum cruciatum, et crucem egisti. Iam vero videre hominis audaciam, non ne eum graviter tulisse arbitramini, quod illam civibus Romanis crucem non posset in foro, non in comicio, non in rostris desigere? et quod enim his locis in provincia sua celebritate simillimum, regione proximum potuit, elegit: monumentum sceleris audaci aequae voluit esse in conspectu Italiae, vestibulo Siciliae, praetervectione omnium, qui ultro citroque navigarent.

EXPLA-

## EXPLANATIO

**P**ROPTER *togae nomen* & soli ciues Romani toga utebantur: itaque solum hoc nomen, *Togatus*, ciuis Romanum designat. lib. I. Erant nonnulli togati, creditores Graecorum. DE *uno genere*, & de supplicijs. *ILLO numero* mercatorum: quos Sertorianos esse milites & ex Hispania profugisse Verres dicebat. Vilitatis esset, in illo numero quamquam & sine praepositione ferri potest. *MOENIA Rheginorum* & quae cum uideret, in Italia sibi esse uidebatur. Rhegini enim ciues Romani, de quibus alio loco: Quam uos Rheginis, quorum ciuitati inuideris, ciuibus Romanis, ostendere soletis. Et Phil. I. *municipes* appellantur, in ep. ad Cornificium eius tribules. *PRAESTO aduenienti futurum*: & Romae se ultimum esse iniurias suas apud iudices, ope & auxilio legum. *INFLAMMATVS scelere, & furore in forum uenit*: in re simili supra: procedit iste repente praetorio inflammatus scelere, furore, crudelitate, in forum uenit, *EMINEBAT*: & legit Quintilianus lib. IX. cap. II. *Emicabat*, quod cum duobus uerbis, Inflammatus, At debant, congruere uideatur. *MERVISSE* & fuisse in iisdem castris, non enim significat, cum L. Pretio duce, sed commilitone. *ISTAM potestatem* & in cruce adigendi ciues Romanos. *O LEX Porcia legesq. Semproniae*: & quarum illa uirgas amouit a corpore ciuium Romanorum: haec de ciuium capite in iussu populi Romani iudicari uetuerunt. Leges Semproniae, dicit, quia plures leges C. Sempronius Gracchus pro libertate ciuium Romanorum tulit. *ALIQUANDO reddita* & adempta a Sulla dictatore, reddita a Pompeio consule hoc anno. *HVECINE tandem omnia reciderunt*, & ita ne haec a te, Verres omnia spreta, contemptaq. sunt: *NON imbibebat*, & non aliquem crudelitati tuae modum non faciebat, non te remouebat a crudelitate. *PRIMO homini*, & primario, ut lib. IV. A Lyfone Lilybaetano, primo homine. *CONSILIO in medio* & iudicium, *VEREBATUR*, & nisi testem dimississet, fore metuebat, ne populus, dolore, & iracundia concitatus, in Vertem impetum faceret, easq. poenas per uim sumeret, quas uereretur ne ille sententijs iudicum non daret. hanc suspicionem, & hanc infamiam Glabrio praetora se ipso, & a consilio suo remouendam putauit: itaque testem dimisit, reumq. a multitudinis iracundia uindicatum, legibus & iudicio reseruauit. *QVId de te futurum sit*: & absolui te nullo modo posse. *QVI TE nunc sero doceant*, & cum in uitam restitui Gaius iam non possit. *IUDICES non sero*, & qui satis hoc mature cognouerunt ante finem iudicij. *Tuis proximis* & tuis defensoribus, qui tibi assident. *Hoc teneo*, & quod abs te mihi datur, quod tu fateris. *INDVATUR*, & capiatur. lib. II. Videte, in quos laqueos se induerit. Hic supra: Si te ex his laqueis exueris. *USURPATIONE ciuitatis* & Usurpare, est nominare: pro Marcello: Soleo saepe ante oculos ponere, idq. libenter crebris usurpare sermonibus. Et Phil. I. Graecum etiam uerbum usurpauit. In Parad. pro dicere. Paclare est hoc usurpatum a doctissimis. Et subiungit: Dicitum est igitur ab eruditissimis uiris, nisi sapientem liberum esse neminem. *Hanc sibi rem praesidio sperant esse futurum*, & uetus locutio, pro, Futuram. simile illud in Vatinius: Eripueras senatui prouinciae decernendi potestatem. Et apud Terentium in Hec. Eius uidentis, cum de muliere loquatur uide Gellium lib. I. cap. I. *QVod quis ignoret*: & quod qui sciat, nemo adfit, aut ad eum referat, qui supplicium in eum constitueret, qui se ciuem Romanum esse diceret: quem ipse non cognosceret. *COGNOSCERET hominem*: & pro, si cognosceret, *SI IGNORARET*: & uenit in mentem, cum Latini sermonis consuetudinem specto, abundare particulam, Si. est enim elegans in primis, & ueteribus usitata figura: cum duo contraria proponuntur: ut Phil. XI. Assensus ero: ambitionem induxero in eum. negato, uidebor suffragio meo, tamquam comitijs, honorem homini amicissimo denegauisse. Et Phil. XIII. Recesseris: undique omnes insequentur, manseris: haerabis. Et apud Terentium in Heaut. Vel me monere hoc, uel percunctori pura: *Rectum est, ego ut faciam: non est, te ut deterream.* Est enim dictum tamquam: si rectum est, si non est: quemadmodum in duobus locis Ciceronis, proxime recitatis: Si assensus ero, si negato: Si recesseris, si manseris. *Hoc iuris* & quod tamen esset iniquissimum. *LOCUPLETEM* & cuius pecunia ciuis ille Romanus crucis supplicio redimeretur: alioqui, si cognitorem non locupletem daret, seruari non posset. Ita cum Verres crudelitate avaritiam Cicero coniungit. *Ac NON nomini, generi, iuri ciuium hostis*: & Infra: Non tu hoc loco Gaium, non unum hominem nescio quem ciuem Romanum, sed communem, libertatis & ciuitatis causam in illum cruciatum, & crucem egisti. De eodem lib. IV. Cum uideant ius ciuitatis in illo supplicio mactatum: *PERRANGVSTO fretu* & non Fretu: ut Peccatu, non peccato, lib. II. in extremo. auctor Gellius lib. XIII. cap. I. *SCELVS* & dixi supra, plus esse in scelere, quam in facinore, in eo loco: Id agit, ut semper superius suum facinus nouo scelere uincat. *VI scelus autem facinore, sic patricidium scelere grauius est.* *VINCIRI*, & legit Quintilianus, Vincire, uerberare, & necare: sed maior quaedam in esse uis uidetur in patientibus uerbis: nec aliter antiqui libri: qui tamen habent omnes, Tollere, non, Tolli: quod ferti potest etiam a ceteris tribus uerbis quodam modo disingatur. *VERBO satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest*, & magnam, & inusitatam esse rem oportet, quam uerba non aequent de quo artificio ui de quae diximus initio lib. IV.

## O R A T I O

Si haec non ad ciues R. non ad aliquos amicos nostrae ciuitatis, non ad eos qui populi R. nomē audissent, denique, si non ad homines, uerum ad bestias, aut etiam, ut longius progrediar, si in aliqua desertissima solitudine ad saxa, & ad scopulos haec conqueri, & deplorare uellem: tamen omnia muta, atque inanima, tanta, & tam indigna rerum atrocitate commouerentur. nunc uero, cum loquar apud senatores populi R. legum, iudiciorumque, & iuris auctores, timere non deo, ne non unus iste ciuis R. illa cruce dignus, ceteri omnes simili periculo indignissimi iudicentur. Paulo ante, iudices, lacrimas in morte misera, atque indignissima nauarchorum non tenebamus, & recte ac merito, faciorum innocentium miseria commouebamur: quid nunc in nostro sanguine tandem facere debemus? nam ciuium R. omnium sanguis conuictus existimatus est; quoniam id & salutis omnium ratio, & ueritas postulat omnes hoc loco ciues R. & qui adsunt, & qui ubicumque sunt, uestram seueritatem desiderant, uestram fidem, implorant, uestrum auxilium requirunt: omnia sua iura commoda, auxilia, totam denique libertatem in uestris sententijs uersari arbitrantur. a me, tamen si satis habent, tamen, si res aliter acciderit, plus habebunt fortasse, quam postulant. nam & si qua uis istum de uestra seueritate eripuerit; id quod neque metuo, iudices, neque ullo modo fieri posse uideo: sed si in hoc me ratio fefellerit: Siculi causam suam perisse querentur, & mecum pariter moleste ferent: populus quidem Romanus breui, quoniam mihi potestatem apud se agēdi dedit, ius suum, me agente, suis suffragis ante Kal. Feb. recuperabit. Ad, si de mea gloria & amplitudine quaeritis, iudices; non est alienum meis rationibus, istum mihi ex hoc iudicio ereptum ad illud populi R. iudicium referuari. splendida est illa causa, probabilis mihi, & facilis, populo grata, atque iucunda. denique si uideor hic, id quod ego non quaesui, de uno isto uoluisse crescere: isto absoluto, quod sine multorum scelere fieri non potest, de multis mihi crescere licebit. sed mehercule uestra rei publicae causa, iudices, nolo in hoc delecto consilio tantum flagitium esse commissum: nolo eos iudices, quos ego probarim, atque delegerim, sic in hac urbe notatos isto absoluto ambulare, ut non cetera, sed coeno oblitum esse uideantur. Quamobrem te quoque, Hortensi, quia monendi locus est, ex hoc loco moneo, uideas etiam atque etiam, & consideres, quid agas, quo progrediare, quem hominem, & qua ratione defendas. neque de illo quidquam tibi praesidio, quominus ingenio mecum atque omni dicendi facultate contendas: cetera, si qua putas te occultius extra iudicium, quae ad iudicium pertinent, facere posse; si quid artificioso consilio, potentia, gratia, copijs istius moliri cogitas; magnopere cōseo desistas; & illa, quae tentata iam, & coepta ab isto sunt, a me autem peruestigata, & cognita, moneo ut extinguas, & longius progredi ne sinas. magno tuo periculo peccabitur in hoc iudicio, maiore quam putas. quod enim te liberatum iam existimationis metu, defunctum honoribus, designatum consulem cogites: tibi erede, ornamenta ista, & beneficia populi R. non minore negotio retinen-

tur, quam comparatur. tulit haec ciuitas, quoad potuit, quoad necesse fuit, regiam istam uestram dominationē in iudicijs, & omni re publica, tulit: sed, quo die populo R. tribuni pl. restituti sunt, omnia ista uobis, si forte nondum intelligitis, adempta, atque erepta sunt. omnium nunc oculi cōiecti sunt hoc ipso tempore in unum quemque nostrum, qua fide ego accusem, qua religione hi iudicent, qua tu ratione defendas. de omnibus nobis, si quis tantulum de re ista regione deflexerit, non illa tacita existimatio, quam antea contemnere solebatis, sed uehemens ac liberum populi R. iudicium consequetur. nulla tibi, Quinte, cum isto cognatio est, nulla necessitudo: quibus excusationibus antea nimium in aliquo iudicio studium tuum defendere solebas, earum habere in hoc homini nullam potes. quae iste in prouincia palam distitabat, cum ea, quae faciebat, tua se fiducia facere dicebat; ea ne uera putentur, tibi maxime est prouidendum. ego mei iam rationem officij confido esse omnibus iniquissimis meis per solutam. nam istum paucis horis primae actionis omnium mortalium sententijs condemnauit, reliquum iudicium non iam de mea fide, quae perfecta est; neque de istius uita, quae damnata est; sed de iudicibus, & uere ut dicam, de te futurum est; at quo tempore futurum est? (nam id maxime prouidendum est: etenim cum omnibus in rebus, tum in rep. permagni momenti est ratio, atque inclinatio temporum) nempe eo, cum populus R. aliud genus hominum, atque alium ordinem ad res iudicandas requirit; nempe ea lege de iudicijs, iudicibusque. nouis promulgata, quam non is promulgauit, cuius nomine proscripta uidetis, sed hic reus. hic, inquam, sua spe, atque opinione, quam de uobis habet, legem illam scribendam, promulgandamque curauit. itaque, cum primo agere coepimus, non erat promulgata: cum iste, uestra seueritate permotus, multa signa dederat, quamobrem responsurus non uideretur, mentio de lege nulla fiebat: postea quam iste receauit, & confirmari uisus est, lex statim promulgata est: cui legi cum uestra dignitas uehementer aduersetur, istius spes falsa, & insignis impudentia maxime suffragatur. Hic si quid erit commissum a quoquam uestrum, quod reprehendatur: aut populus R. iudicabit de eo homine, quem iam antea iudicijs indignum putauit; aut is, qui propter offensionem iudiciorum de ueteribus iudicibus lege noua noui iudices erunt constituti. Mibi porro, ut ego non dicam, quis omnium mortalium non intelligit, quam longe progredi sit necesse? potero silere, Hortensi, potero dissimulare, cum tantum resp. uulnus acceperit, ut expilatae prouinciae, uexati socij, dii immortales spoliati, ciues R. cruciati, & necati impune me auctore esse uideatur? potero hoc onus tantum aut in hoc iudicio deponere, aut diuinus tacitus sustinere? non agitanda res erit? non in mediū proferenda? non populi R. fides imploranda? non omnes, qui tanto se scelere obstrinxerint, ut aut fidem suam corrumpi paterentur, aut iudicium corrumpent, in discrimen, ac iudicium uocandi? Quaeret aliquis fortasse: tantum ne igitur laborem, tantas inimicitias, tot hominum, suscepturus es? Non studio quidem mehercule ullo, neque uoluntate; sed non idem mihi

mibi licet, quod ijs, qui nobili genere nati sunt; quibus omnia populi R. beneficia dormientibus deferuntur. longe alia mibi lege in hac ciuitate, & condicione uinēdū est. uenit enim mibi in mentem M. Catonis, homini sapientissimi: qui cum se uirtute, nō genere populo R. cōmendari putaret. cum ipse sui generis uoluntate, ac nominis ab se gigni, & propagari uellet, hominum potentissimorum suscepit inimicitias, & maximis in laboribus usque ad summam senectutem summa cum gloria uixit. Postea Q. Pompeius, humili atque obscuro loco natus, non ne plurimis inimicijs, maximisque suis periculis, ac doloribus amplissimos honores est adeptus? *M. L. Fimbriam, C. Marium, C. Coelium* uidimus non mediocribus inimicijs, ac laboribus contendere, ut ad istos honores peruenirent, ad quos uos per ludum, & per negligentiam peruenistis. Haec eadem est nostrae nationis regio, & uia: horum nos hominum sectam, atque instituta persequimur. uidemus, quāta sit in inuidia, quantoque in odio apud quosdam homines nobiles nouorum hominū uirtus, & industria; si tantulum oculos deiecerimus, praesto esse insidias; si illum locum aperuerimus suspicioni, aut crimini, accipiendum esse statim uulnus: esse nobis semper uigilandum, semper laborandum uidemus. inimicitiae sūt sub

eantur: labores, suscipiantur. etenim tacitae magis, & occultae inimiciae timēdae sunt, quā inditae, & aperta. hominum nobilium non fere quisquam nostrae industriae fauet: nullis nostris officijs beneuolentiā illorum allicere possumus: quasi natura, & genere distincti sint, ita dissident a nobis animo, ac uoluntate. Quare, quid habent eorum inimiciae periculi, quorum animos iam ante habueris inimicos, & inuidos, quam nullas inimicitias susceperis? Quamobrem mibi iudices, optandum est illud, in hoc reo sinem accusandi facere. cū & populo R. satisfactum, et receptum officium Siculis, necessarijs meis, erit persolutum. deliberatū autem est, si res opinionem meam, quam de uobis habeo, fefellerit, non modo eos persequi, ad quos maxime culpa corrumpendi iudicij, sed etiam illos, ad quos cōsuetudine contagio pertinebit. proinde, si qui sunt, qui in hoc reo aut potentes, aut audaces, aut artifices ad corrumpendum iudicium uelint esse; ita sint parati, ut disceptante populo R. mecum sibi rem uideant futuram. & si me in hoc reo quem mibi inimicum Siculi dederunt, satis uehementem, satis perseuerantem, satis uigilantem esse cognorunt; existiment in ijs hominibus, quorū ego inimicitias populi R. salutis causa suscepero, multo grauiorem, atque acriorem futurum.

## EXPLANATIO

**T**IMERE non debet, ne non unus iste ꝛ negantes particulae acumen addunt, sed eadem sententiam non nihil interdum obscurant: His Ciceronis uerbis haec subesse res uidetur. Timere non deo, ne causa Gaiij a communi ciuium Romanorum causa seiungatur, & hic quidē unus illa cruce dignus, ceteri autem indignissimi iudicentur: sed exploratum habeo, quemadmodum ceteros omnes ciues, ita Gaiium a uobis indignissimum illa cruce iudicari. ciuium enim omnium sanguis coniunctus existimandus est. Quae ratio subiungitur. **VERITAS** omnium ꝛ malim, Omnino. cum enim ijsdem omnes legibus teneantur, & eodem omnes iure sint, postulat non modo salutis omnium ratio, sed etiam ueritas ipsa, ut, quo ceteri supplicio, eodem Gaius indignissimus iudicetur. **HOC** **LOCUS** ꝛ in causa Gaiij, in eo, quod a me uobis de Gaiio commemoratum est. ut lib. IV. Hoc loco Q. Catule te appello. **TAMETS** **SATIS** **HABENT** ꝛ defendi enim, quantum in me fuit, causam ciuium Romanorum: eao. ipsi defensione contenti sunt: reliqua a uobis expectant. **SI** **RES** **ALITER** **ACCIDERIT**, ꝛ si Verrem absolueris. **SI** **QUA** **UIS** ꝛ pecuniae supra: Si mehercules, id quod fieri intelligo non posse, ex his laqueis te exueris, ac te aliqua uia, ac ratione explicaris; in illas tibi maiores plagas incidendum est, in quibus te ab eodem me superiore ex loco confici, & concidi necesse est. **IN** **QUOD** **NE** **QUE** **METUO**, ꝛ interpositio ad uitandam iudicium offensionē: ut supra. **SI** **ME** **HERCULES**, id quod fieri intelligo non posse, ex his laqueis te exueris. **BREVI**, ꝛ primo mente acilitatis meae. Subiungit enim, ante Kal. Feb. **ME** **AGENTE**, ꝛ me Verrem de maiestate accusante, quia ciues Romanos uel securi percusserit, uel in crucem egerit. **DE** **VNO** **ISTO** **UOLUISSE** **CRESCERE**: ꝛ laus enim & gloria paritur ex accusatione improborum. pro Sex. Roscio: Si mihi liberet acculare, accusarem alios potius, ex quibus possem crescere. **DE** **MERTIS** ꝛ de iudicibus, qui pecunia corrupti Verrem absoluerint: quos ad populum accusabo. In Diuin. Nihil erit, quod me agente arbitretur, iudicium sine magno multorum periculo posse corrumpi. **PRO** **ARTEM**, ac delegerim, ꝛ in reiectione. quos enim non reiecit, eos probare, ac deligere uisus est. unde illud act. I. In reiectionis iudicibus mea diligentia istorū impudentiam uicerat. **NOTATOS** ꝛ infamia. **UT** **NON** **CERA**, ꝛ respexit ad eorum tabellas cera illitas, qui pretio reos absoluerant: de quibus in Diuin. Ceratam unicuique tabellam dari, cera legitima, non illa infami, ac nefaria. Et act. I. Nulla nota, nullus color, nullae fordes uidebantur his sententijs allini posse. **SED** **COENO** ꝛ quod est turpius. Maior, inquit, erit infamia uestra, quā eorum, qui, notatis cera tabellis, nocentes reos absoluerunt: ut illi cera, uos coeno obliti, & inquinati esse uideamini. **LOCUS** **EST**, ꝛ occasio est: ut pro Quinctio: Qui locus absentis defendendi procuratori primus datus est. Et ad Appium: Non nihil loci dare alicui secus existimandi. Ex hoc loco monco, ꝛ cum ago pro Siculis contra Verrem. **QUO** **PRO** **GRADIARE**, ꝛ carpit Hortensium, plus audere solitum, quam liceret. **QUA** **RATIONE** ꝛ ut, praeter ingenij, & dicendi facultatem, nihil in iudicium a feras. Eundem, ut recta, laudabiliq. ratione Verrem defendat, oblique hortatur, & monet in Diuin. Huic ego, inquit, homini iam ante denuncio; si a me causam hanc uos agi uoueritis, rationem illi defendendi totam esse mutandam, & ita tamen mutandam, ut meliore & honestiore condicione sit, quā qua ipse esse uult: ut imitetur homines eos, quos ipse uidit, amplissimos, L. Crassum, & M. Antonium, qui nihil se arbitrabantur ad iudicia, causasq. amicorum, praeter fidem, & ingenium

ingenium afferre oportere. *EXTRA iudicium, quae ad iudicium pertinent, & quae reum adiuuare possint:* quae statim dicuntur: si quid artificio, consilio, potentia, gratia. *copijs istius moliri cogitas. haec enim extra iudicium sunt nam in iudicio, praeter fidem, & ingenium, nihil requiritur.* *ARTIFICIO, consilio, &* quibus in obtinenda nocentium reorum ablatione uti solet Hortensius. *POTENTIA, gratia & quibus valeret Hortensius, quod esset cōsul designatus* *COPILVS istius & pecunia Siciliēsi* Ex his quinque nominibus, artificio, consilio, potentia, gratia, copijs efficitur illa uis de qua supra: Si ex his laqueis te exsueris, ac te aliqua ui, ac ratione explicaris. Et: Si qua uis istum de uestra seueritate eripuerit. *PECCABITVR &* ab ipso etiam Verre, non modo a te. *LIBERATVM iam existimationis metu, & quod iam non times, ne qua res laedere possit existimationem tuam, cum summum honorem consulatum, cuius causa de existimatione laboramus, obtinueris, QVO AD necesse fuit, & usque eo necesse fuit, donec tribuniciam potestatem populo Romano Pompeius consul restituit.* *REGIAM istam uestram dominationem in iudicijs. & nobilitatem infectatur, in quam etiam illud conijcitur lib. I. Tantum dicam paucos homines ut leuissime dicā arrogantes, hoc adiutore Q. Opimium per ludum & iocum fortunis omnibus euertisse.* *TVLIT: & uis est in re petitione uerbi, de qua supra diximus.* *OMNIA ista & quae pro uestra libidine, nullo populi Romani metu, in iudicijs, & in omni rep faciebatis.* *ERERTA & inuitis. hoc enim in uerbo uis est.* *CONIECTI sunt: & ideo coniecti, ut, si quis peccauerit, in eum populus Romanus animaduerrat* *TACITA existimatio, & cum non erat, qui ad populum quemquam accusare posset, tribunis pl. agendi iure ac potestate carentibus: quibus nunc restitutis, uehemens ac liberum populi Romani iudicium erit.* *NVLLA necessitudo: & nulla affinitas.* Vettius quoque, cuius sororem habebat Verres in matrimonio necessarius, pro affinis, appellatur li. III. *NIMIVM & mordet Hortensium, qui cognationi, & necessitudini plus interdum, quam iustitiae, tribueret.* *INIOVISISSIMIS meis & obtrectatoribus, ut in ep ad Matium: Tam defendo, quam me scio a te contra iniquos meos solere defendi.* *CONDEMNATI & id sum assecutus interrogandis testibus, ut omnes eum nocentissimum iudicarent.* *ALIVM ordinem & equestrem, lege iam a Cotta praetore promulgata.* *ADRES iudicandas & ad iudicia administranda dixi supra de hoc genere loquēdi* *CVM primo agere coepimus & actione prima.* *VESTRAS dignitates & quae facit, ut lex, tamquam uobis iudicibus minime necessaria, populi suffragijs antiquanda uideatur.* *SVFFRAGATVR. & populus enim, cum istum bene sperare uideret, & ea praeditum esse impudentia, ut a nullo corrupendi iudicij genere abstineat, suspectos habet iudices, & alium omnino ordinem ad res iudicandas noua lege quaerit* *DE EO homine, & non dubito, quin, De eo ordine, magis probetur hominibus eruditis. saepe enim iam dictum est, indignum uideri populo Romano, qui iudicaret, ordinem senatorium* *DE VETERIBVS iudicibus & scriptum hoc in lege non arbitror: sed minatur Cicero iudicibus, si quid in Verre iudicando commiserint, quod reprehēdatur: quasi periculum ijs uel a populo Romano, uel a nouis iudicibus impendat* *QVAM longe progredi sit necesse. & non in hoc iudicio, si Verres elabatur, actio mea finem inueniet: cogar alio loco, nempe apud populum Romanum, eandem causam agere: cogar foedorum, deorum immortalium, ciuium Romanorum iniurias persequi.* *HOG ONVS tantum & officij, & muneris, quod iam suscepi.* In Diuin. Ego in hoc iudicio mihi Siculorum causam recepitam, populi Romani susceptam esse arbitror. *DEPONERE, & uel si Verres absoluitur, non deponam.* *TACITVS & nec deponam, nec animo tantum sustinebo: re ipsa meum officium declarabo.* *AGITANDA & uehementius agenda.* *FIDEM suam corrumpi & iureiurando datam de seruandis legibus.* *QVAERET aliquis fortasse: & uitur occasione ad ignauiam nobilitatis accusandam.* *NEQVE uoluntati: & tantum abest, ut id cupiam, ut ne uelim quidem.* *NON IDEM mihi licet, & desidiose uiuere, & honores consequi.* *DORMIENTIBVS & propterea Naeuius poeta in Metellos dixit: Fato Metelli Romae fiunt consules quo, tamquam graui probro, Q. Metellus tum consul, Macedonici pater, iratus, alio uersu respondit: Dabunt malum poetae Naeuii poetae. Et t quod hic, Populi Romani beneficia dormientibus deferuntur, infra dixit, Per ludum, & negligentiam ad honores peruenistis.* *M. CATONIS, & Censor ij qui Sapiens dictus est: ideoq. apte subiungitur, Hominis sapientissimi.* *NON GERE & quia nouus homo erat, Tusculi natus* *HOMINVM potentissimorum suscepit inimicitias, & qui etiam L. Quinctium Flaminiū, Titū fratrem, eius qui ex Macedonia triumphauerat, uirum consularem, censor tenatu mouit.* *MAXIMIS in laboribus & saepe accusans, saepius accusatus.* *POSTEA Q. Pompeius & sic legendum putauī, cum esset antea, Posteaq. Pompeius cur enim vni Pompeio suum praenomen adimatur, cum tribuatur ceteris hic nominatis, Catoni, Fimbriae, Mario, Coelio: HVMILI, atque obscuro loco natus, & in Bruto Q. Pōpeius, non contemptus orator, qui summos honores, homo per se cognitus, sine ulla commendatione maiorum adeptus est.* *Primus in familiam suam consulatum intulit: ut Velleius lib. II. & Capitolini lapides.* *INIMICITIAS, periculis, ac doloribus & malim, Laboribus, pro Doloribus. Subiungit enim, Non mediocribus inimicitijs, ac laboribus. Et paullo post: Inimicitiae sunt subeantur: labores, suscipiantur.* *Lib. I in Verrem haec simul tria ponūtur, labores, pericula, inimicitiae: Quod ego, inquit, laborib. periculis, inimicitijsq. meis tum, cū admissum erit dedecus se aere me persecuturū esse polliceor; id ne accidat, tu tua sapientia, auctoritate, diligentia M. Glabrio potes prouidere.* *Pro Murena: Quorū ego opera illum in locum, atque in hanc celsissimā sedē dignitatis, atq. honoris multis meis ac magnis laboribus, & periculis adscēdissem.* *Pro domo: In urbe, quā suis laboribus, ac periculis conseruasset.* *Phil. II Magno labore, multis periculis, quod cogitabat, effecerat. Labores etiam cū periculis cōiungit in ea pro Sulla. & li. Off. Inimicitias autem nobilium uirorū, praecipue Caepionum, & Metellorum, significabat, qui testimoniū in Q. Pōpeiu de repetūdis accusatū, acerrime dixerūt. uide pro Fonteio, & Valeriu Max. li. IIX. cap. V. L. FIMBRIAM, & mendū est in praenomine. hic est enim C. Flauius Fimbria, qui eū C. Mario cons. fuit, cū in trib. pl. repul-*

fam passus esset: ut in oratione pro Plancio. INIMICITIAS, & accusatus est repetundarum, & in eum uir nobilissimus M. Staurus testimonium dixit: cui tamen iudices non crediderunt. pro Fonteio, Valerius Max. lib. II. cap. V. C. COELIVM & Caldum, nouum hominem: quo Q. Cicero de Pet. conf. Quanto, inquit, mellor tibi fortuna petitionis data est, quam nuper homini nouo, C. Coelio? ille cum duobus hominibus ita nobilissimis petebat, ut tamen in ijs omnia pluris essent, quam ipsa nobilitas: tamen eorum alterum, cum ad esset alter, Coelius, cum multo esset inferior genere, superior nulla re paene, superauit. Consultatum gessit cum L. Domitio Ahenobarbo. PER LUDVM, & per negligentiam & facile, sine labore. Similiter lib. I. Paucos homines, ut leuissime dicam, arrogantes, Q. Opimium per ludum & iocum fortunis omnibus euertisse. EADEM & quae Catonis, Fimbriae, Marij, Coelij. NOSTRAE nationis & nouorum hominum. Sic in Pilonem: Nemo tibi obuiam uenit, ne de officiosissima quidem natione candidatorum. Et de har. resp. Deteriores cauete, quorum est magna natio. REGIO, & qua nouis hominibus ad honores eundem esse iudicamus. supra: Si quis tantulum de recta regione deflexerit. SI TANTVLVM oculos deiecerimus, & tantum abest, ut dormientibus honores deferantur. Quod paullo ante de nobilitate dixit. ACCIPIENDVM esse statim uulnus: & pergit in similitudine, & post insidias uulnus nominat. VIGILAN DV M esse, & ne, si paululum oculos deiecerimus, praesto sint insidiae. INDICIAE, & ut indicitur bellum id est denunciatur. NATVRA, & genere & cum tamen hominem homini maximi me natura commendat, nec differant homines inter se genere, sed animo saepe, ac uoluntate. ANIMO, ac uoluntate. & separatim ponuntur, licet motus animi sit uoluntas. itaque coniunguntur in ep. ad Rufum: Credo me quidem tibi pro animi mei uoluntate proq. ea spe facultatum, quam tum habebamus, quam humanissime potuerim, rescripsisse. Et apud Lucretium lib. II. Ex animiq. uoluntate id procedere primum. Quid habent inimicitiae periculi, & periculi nihilo plus habent, quam habebant, ante quam indicatae, apertaeq. essent idem enim semper animus fuit, inimicus uidelicet, atque ad nocendum propensus. AD QVOS maxime & hi sunt iudices ipsi. CORRVPENDI iudicij, & Corrupti, ut est in antiquo libro, sententia magis probat. POPEN TES, & auctoritate. AVDACES, & in corrupendo nullo legum metu. ARTIFICES & peritia, & ingenio. haec enim tria hominum genera si coniunguntur, leges, & iudicia, atque adeo salus ipsa reip. periclitatur. DISCEPTANTE populo Romano, & iudice populo Romano. nam, disceptare, iudicis est: pro Milone: Isti est praepositus quaestioni, qui haec iuste, sapienterq. disceptet. Pro Deiot. Si hanc causam in foro dicerem, eodem audiente, & disceptante te. Interdum ualet, litigo, contendo. pro Balbo: Qui non de suo facto, sed de publico iure disceptat. Et in Verrem lib. II. Ut sibi cum palaestritis aequo iure disceptare liceat. MVLTIO grauiorem, & eo grauiorem, quo maior populi Romani uniuersi, quam unius provinciae, habenda ratio est.

## ORATIO

**N**VNC te, Iuppiter Optime Maxime, cuius iste donum regale, dignum tuo pulcherrimo templo, dignum Capitolio, atque ista arce omnium nationum, dignum regio munere, tibi factum ab regibus, tibi dicatum atque promissum, per nefarium scelus de regij manibus extorsit: cuiusq. sanctissimum, & pulcherrimum simulacrum Syracusis sustulit: teque, Iuno regina, cuius duo fana duabus in insulis posita sociorum, Melitae, & Sami, sanctissima, & antiquissima, simili scelere idem iste omnibus donis, ornamentisq. nudauit: teque, Minerua, quam idem iste duobus in clarissimis, & religiosissimis templis expilauit: Athenis, cum auri grande pontus; Syracusis, cum omnia, praeter tectum, & parietes, abstulit: teque, Latona, & Apollo, & Diana, quorum iste Deli non sanam, sed, ut hominum opinio, & religio fert, sedem antiquam diuinumq. domicilium nocturno latrocinio, atque impetu copilauit: etiam te, Apollo quem iste Chio sustulit: teque, etiam atque etiam, Dianam, quam Pergae spoliavit, cuius simulacrum sanctissimum Segestae, bis apud Segestanos consecratum, semel ipsorum religione, iterum P. Africani uictoria tollendum, asportandumq. curauit: teque, Mercuri, quem Verres in uilla, & in priuata aliqua palaestra posuit, P. Africanus in urbe sociorum, & in gymnasio Tindaritanorum iuuentutis illorum custodem, & praesidem uoluit esse: teque Hercules, quem iste Agroganti, nocte in tempesta, seruorum instructa et coparata manu conuellere ex suis sedibus, atque auferre conatus est: teque, sanctissima mater

Idaeae, quam apud Enguinos augustissimo, & religiosissimo in templo sic spoliata reliquit, ut nunc nomen modo Africani, & uestigia uiolatae religionis mancant, monumenta uictoriae sanique ornamenta non essent: nosq. omnium rerum forensium, consiliorum maximorum, legum iudiciorumq. arbitri, & testes, celeberrimo in loco praetorij locati, Castor, & Pollux, quorum in templo quaestum sibi iste, & praedam maximam improbitissime comparauit: omnesq. dii, qui uehiculis Caesarum sollemnes coetus ludorum imitris, quorum iter iste ad suum quaestum, non ad religionum dignitatem faciendum, exigendumq. curauit: teque, Ceres, & Libera, quarum sacra, sicut opinioniones hominum, ac religiones ferunt, longe maximis, atque occultissimis caerimonijs continentur, a quibus initia uitae, atque uictus, legum, morum, mansuetudinis, humanitatis exempla hominibus, & ciuitatibus data, ac dispersita esse dicuntur: quarum sacra populus Roma Graecis adscita, & accepta, tanta religione & publice, & priuatim tuetur, non ut ab alijs huic allata, sed ut ceteris hinc tradita esse uideantur: quae ab isto uno sic polluta, & uiolata, sunt ut simulacrum Cereris unum, quod a uiro non modo tangi, sed ne adspicere quidem fas fuit, & sacratio Catinae conuellendum, auertendumq. curauerit; alterum autem Ennae ex sua sede, ac domo sustulerit; quod erat tale, ut homines, cum uiderent, aut ipsam uideret se Cererem, aut effigiem Cereris non humana manu factam esse, sed de caelo delapsam arbitrarentur: nos etiam atque etiam imploro,

imploro, & appello, sanctissimae deae, quae illos En-  
nenses lacus, lucosq. colitis, cunctaq. Siciliae, quae  
mibi defendenda tradita est praesideris, a quibus, in-  
uentis frugibus, & in orbem terrarum distributis, oēs  
gētes, ac nationes uestri religione numinis cōtinētur:  
ceteros item deos, deasq. omnes imploro, atq. obtestor,  
quorum templis, & regionibus iste nefario quodam fu-  
rore, & audacia instinctus bellum sacrilegum semper,  
impiumq. habuit indictum, ut, si in hoc reo, atque in hac  
caussa omnia mea consilia ad salutem sociorum, digni-  
tatem populi R. fidem meam spectauerunt, si nullam

ad rem, nisi ad officium, & ueritatem, omnes meae  
curae, uigiliae, cogitationesq. laborarunt; quae mea-  
mens in suscipienda causa fuit, fides in agenda, eadem  
uestra in iudicanda sit; denique, uti C. Verrem: si eius  
omnia sunt inaudita, & singularia facinora sceleris,  
audaciae, perfidiae, libidinis, auaritia, crudelitatis, di-  
gnus exitus eiusmodi uita, atque factis uestro iudicio  
consequatur; ut q. resp. mea fide, unaq. hac accusatione  
mea contenta sit; mihiq. posthac bonos potius defende-  
re liceat, quam improbos accusare necesse sit.

## EXPLANATIO

**D**ONVM regale & Antiochi regis. lib. IV. SANCTISSIMVM, & pulcherrimum simulacrum. de  
quo lib. V. Ex aede Iouis Imperatoris, quem Graeci Vriōn nominant, pulcherrime factum, nonne  
abstulisti? MELITAE, & lib. IV. SAMI, & lib. I. AVRI grande pondus, & lib. I. Athenis, audistis, ex aede  
Mineruae grande auri pondus ablatum dictum hoc est in Dolabellae iudicio: dictum & etiam aestima-  
tum. huius consilij non modo participem C. Verrem, sed principem fuisse reperietis. OMNIA, praeter  
rectum, & parietes abstulit. & lib. IV. Aedes Mineruae est in Insula, de qua ante dixi; quae ab isto sic spo-  
liata, atque direpta est, non ut ab hoste aliquo, qui tamen in bello religionis & consuetudinis iura retine-  
ret, sed ut a barbaris praedonibus uexata esse uideatur. SEDEM antiquam, & lib. I. Latonam ex longo er-  
rore, & fuga, grauidam, & iam ad parientum uicinam, temporibus exactis fugisse Delum, atque ibi  
Apollinem, Dianamque peperisse. qua ex opinione hominum illa insula eorum deorum sacra putatur.  
CHIO & lib. I. Chio per uim signa pulcherrima dico abstulisse. Pergae & lib. I. SEGESTAE, & lib. IV.  
IN PRIVATA aliqua palaestra & erant enim in aedibus quoque priuatis palaestrae ep. I. lib. III. ad Q. fr.  
ad Gallum lib. VII. de leg. I. IN GYMNASIO Tyndaritanorum & lib. IV. AGRAGANTI, & lib. IV. EN-  
GVINOS & lib. IV. OMNIUM rerum forensium, & Castoris enim & Pollucis templum in foro erat. CON-  
SILIORVM maximorum, & significari arbitror consilia deliberationesq. populi de maximis rebus: uel  
hoc ad leges & iudicia pertinet nam & leges a populo ferebatur, & iudicia fiebant. PRAETORII & hic sub-  
esse mendum cur non putem, causa nulla est. nam, etsi praetores in foro ius dicebant, aut quaestiones pu-  
blicas exercebant: locum tamen in foro fuisse, qui Praetoriū uocaretur; in quo esset templum Castoris,  
legendo nondum comperi, QVAESTVM sibi iste, & haec tota res lib. I. narratur in eo loco: Aedem  
Castoris P. Iunius habuit tuendam, L. Sulla, Q. Metello cos. is mortuus est: reliquit pupillum paruum  
filium. Ex eius igitur pupilli bonis, quasi aedem Castoris fartam tectam non tradidisset, quaestum sibi  
Verres, praedamq. maximam improbissime comparauit. EXTENDVMQ. & ab ijs, quibus faciendum  
locauerat. inde enim quaestus occasionem capiebat. haec res ita narratur lib. I. Quis signo Vertumni  
in Circum maximum uenit, quin is in unoquoque gradu de auaritia tua commoneretur: quam tu uiam  
tenfarum, atque pompae eiusmodi exegisti, ut tu ipse illa ire non audeas. QVARVM Sacra populus Ro-  
manus, a Graecis adscita, & accepta, tanta religione, & publice, & priuatim tuetur, non ut ab alijs hinc allata,  
sed ut alijs hinc tradita esse uideantur: quae ab isto uno sic polluta uiolataq. sunt, ut simulacrum Cereris unum,  
quod a uiro non modo tangi, sed ne adspici quidem fas fuit, e sacrario Catinae conuellendum, auellendumq. curauit;  
& lib. IV. Sacrarium Cereris est apud Catinenses, eadem religione, qua Romae, qua in ceteris locis,  
qua prope in toto orbe terrarum. in eo sacrario intimo fuit signum Cereris perantiquum: quod uiri, non  
modo cuiusmodi esset, sed ne esse quidem sciebant: aditus enim in id sacrarium non est uiris: sacra per  
mulieres, ac uirgines confici solent. ALTERVM autem Ennae ex sua sede, ac domo sustulerit; & lib. IV. Qui  
accessisti Ennam, uidistis simulacrum Cereris e marmore, & in altero templo Liberae. sunt ea perampla,  
atque praeclara, sed non ita antiqua ex aere fuit quoddam modica amplitudine, ac singulari opere, cum  
facibus, perantiquum, omnium illorum, quae sunt in eo fano, antiquissimum. id sustulit. SANCTISSI-  
MAE deae, & Ceres, & Libera. EADEM uestra in iudicanda sit; & quamquam ita sententiam sit exorsus:  
Vos etiam atque etiam imploro, & appello, sanctissimae deae: tamen, Vestra, ad iudices refert, ad quos  
in extremo sermonem conuertit: RESP. meaq. fides & nam & reip. causa, & ut fidem suam Siculis praesta-  
ret promissaq. persolueret, ad accusandum descendit, ut in Diuin. NECESSE sit, & quasi Verrem non  
suo studio, sed ab ipsa rep. fide coactus accusauerit.



IN. ORATIONEM. CICERONIS  
PRO. M. FONTEIO  
PAVLLI. MANVTII  
COMMENTARIVS



ARGVMENTVM



**M** FONTEIVS, *Gallia per triennium post praeturam administrata, Romam reuersus, postulantibus Gallis repetundarum accusatur a M. Placorio, defenditur a Cicerone, actione secunda, consulum gerentibus, quantum consequi coniectura liceat, Q. Hortensio, Q. Metello, cum iudiciis per tres ordines Aurelia lege administrarentur.*